

LEIBNITZ, Gottfried Wilhelm von

GODEFRIDI GUILIELMI LEIBNITII
PRINCIPIA PHILOSOPHIAE,

MORE GEOMETRICO
DEMONSTRATA:
CUM
EXCERPTIS
EX
EPISTOLIS PHILOSOPHI
ET
SCHOLIIS QUIBUSDAM
EX
HISTORIA PHILOSOPHICA.
CUM INDICIBUS THEOREMATUM,
AUCTORUM, RERUM DENIQUE ET VERBORUM
MEMORABILIUM.

ACCEDUNT
THEOREMATA METAPHYSICA DE PROPRIETATIBUS QUIBUSDAM ENTIS INFINITI ET FINITI MUNDIQUE EXISTENTIS PERFECTIONE, EX PHILOSOPHIA LEIBNITIANA PARITER SELECTA ET GEOMETRICE DEMONSTRATA NEC NON *MEDITATIO PHILOSOPHICA* DE UNIONE MENTIS ET CORPORIS DENUO EDITA.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ,
IMPENSIS PETRI CONRADI MONATH.
cIↃ IↃ CCXXVIII.




WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIMO. PRINCIPI.
AC. DOMINO.

DOMINO.

EUGENIO.
FRANCISCO.

PRINCIPI. DE. SABAUDIA. ET.
PEDEMONTIO.
AUREI. VELLERIS. EQVITI.
CAESARI. AUGUSTO.
A. CONSILIIS. INTIMIS. ET. SANCTIORIBUS.
CONSILII. IMPERIALIS. AULAE. BELLICI.
PRAESIDI.
ARMORUM. GENERALI. LOCUM. TENENTI.
ET. S. R. I. CAMPI. MARESCHALLO.
UT. ET.
IN. ITALIA. PER. REGNA. ET. PROVINCIAS.
CAESARIS.
GENERALI. VICARIO.
ET. RELIQVA.
HEROI. ET. ARTE. ET. MARTE.
INCOMPARABILI.

Serenissime Princeps ac Domine,

Domine clementissime!

NOn longè mihi sunt arcessendae rationes SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, qvibus inductus Principia haec Philosophiae, more geometrico à me primum de-

monstrata, SERENITATI TUAE submississimo humillimoque mentis cultu dicare audeo. Ut enim taceam patrocinium SERENITATIS TUAE, quo inde à pluribus annis dignata est tenuitatem meam, nullis id servitiis promeritam, & adhuc dignatur clementissimè, cui potiori jure inscriberentur Prima haec humanae cognitionis de Elementis rerum Principia, qvam TIBI HEROS INVICTISSIME, qvi summo aevi nostri philosopho, *Godefrido Gvilielmo Leibnitio*, dum in Aula Caesarea erigendæ Scientiarum Academiae operam suam commodaret, auctor extitisti, ut primam de illis conscribendis susciperet cogitationem. Paruit is TANTI MAECENATIS jussui primaque eorum lineamenta chartae commisit, quae cum Actis jam eruditorum, Lipsiae in lucem editis, legantur inserta, ego primus, demonstrationibus munita geometricis, & hinc inde ad Auctoris mentem ex ejusdem Amœbeis explanata SERENITATI

TUAE

TUAE ex veterum formula mente devotisſima do, dico, atqve dedico, ut innoteſcat Orbi, qvantum & Philoſophiae Reſtauratio debeat SERENITATI TUAE, quae medios inter Armorum ſtrepitus elegantiores etiam litteras fovet, promovet atqve tuetur, vel ex hac unica cauſſa nulli Heroum noſtri & ſuperiorum ſaeculorum Arte & Marte ſecunda. Unicum, qvod ea, qvam mens concipere poteſt, maxima devotione, à SERENITATE TUA oro atqve contendo, eſt, ut Gratiam mihi SUAM conſervet perpetuam, DEUM ſimul veneratus O. M. ut ſuperſit inter mortales qvam diutiſſime IPSI dilecta & AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI amata, ſerveturqve rebus ſemper majoribus ac melioribus, & tandem, cum fuerit Saeculi Ornamentum & aeternaturae famae Exemplum, Poſteritatis evadat Miraculum! Qvod omine

fuſto

faufto vovens, paginis hifce, pretii in fe nullius, animum tamen offerentis exprimentibus, publice configno

SERENITATIS TUAE

fubjectiffimus

D. Michaël Gottlieb Hanfchius.



PRAEFATIO.

LECTORI PHILOSOPHO

S. P. D.

MICHAEL GOTTLIEB HANSCHIUS,

SAC. CAES. ET CATHOL. MAJESTATIS CONSILIARIUS.



Uum in Academia Lipſienſi Meditationem illam philoſophicam *de Unione Mentis & Corporis* ſecundum Principia G. G. LEIBNITII, Ideae meae Boni Diſputatoris cIↄ Iↄccxxii Francofurti ad Moenum & Theorematibus meis Metaphyſicis, ex Philoſophia potiſſimum Leibnitiana ſelectis, *de Proprietatibus quibusdam Entis infiniti & finiti Mundiqve exiſtentis perfectione*, methodo geometrica demonſtratis, biennio abhinc Auguſtae Vindelicorum editis, ſubnexam, in gratiam amicorum, genuinam LEIBNITII ſententiam ſae-

)( )(pe

pe ex me quærentium, concinnarem, in qua, pro instituti tum temporis mei ratione, ἐν συνόψει hypothesin circa Unionem mentis & corporis Leibnitianam distincte repræsentare conatus sum, nondum videram CHRISTIANI WOLFII, Primarii nunc in Academia Marpurgensi Philosophiae & Mathematum Professoris celeberrimi, *Cogitationes rationales de DEO, Mundo & Anima humana generalibusque rerum affectionibus*, germanicò idiomate conscriptas, qvarum editionem tertiam quum Auctor mecum communicasset, legi librum, ob mota à Theologis quibusdam magni nominis circa sententias nonnullas, in Libro hocce ab Auctore propositas, certamina, cum attentione debita, WOLFIOqve apprime cum LEIBNITIO convenire, deprehendi, ita ut prorsus penitusque persvasus sim, ne ipsam quidem invidiam acutissimo WOLFIO gloriam plenioris evolutionis multorum dogmatum, à LEIBNITIO sive inventorum sive renovatorum, reddere posse dubiam. Eadem enim cum aliis veritatibus ita intexuit Systemati suo Vir celeberrimus, ut innata non immerito videri possint. Gavisus itaque sum vehementer de consensu hocce, nec eundem in litteris, ad Virum celeberrimum datis, dissimulavi. Rescripsi enim XXI. August. cIɔ Iɔ ccxxv. inter alia hunc in modum: *Cum voluptate perlegi cogitata Tua metaphysica, Vir Celeberrime,*

me, quae cum Parte Politices Tuae rectè accepi. Firmant enim & promovent veritates, vel veteribus jam cognitas, vel nuper sive inventas sive renovatas. Acumen Tuum in judicando & profunditatem in meditando singulæ demonstrant Libri paginae. Commodum autem accidit, ut celeberrimus jam Academiae Petropolitanae Professor GEORGIUS BERNHARDUS BULFFINGERUS, quo de edita hactenus specimina praeclara omnia sperare nos jubent, exemplum *Commentationis suae philosophicae de Origine & permissione mali, praecipue moralis*, mihi cum humanissimis litteris, Tubingae XIV. Februarii cIↄIↄccxxIV datis, mitteret. Hae enim occasionem suppeditârunt primam Theoremata metaphysica, Augustae edita, connectendi in systemate & geometricè demonstrandi, quae cùm Per-Illustri & Amplissimo Viro SAMUELI KOELESERIO à KERES-EER, Consiliario & Secretario Caesareo-Regio in Gubernio Principatus Transylvaniae pro consuetudine, qvae mihi cum illo à plurimis jam annis intercedit, & communicassem & Nomini IPSIUS, mihi tam caro, inscripsissem, non digna tantum judicavit, quae lucem adspicerent publicam, sed & à me desideravit, ut Meditationem priorem de Unione mentis & corporis in formam geometricae demonstrationis redigerem. En! verba Per-Illustris Viri, ex literis, xx.

Auguſt. cIↄ Iↄ ccxxv. Cibinio ad me datis, excerpta: *Si theorematibus metaphyſicis, qvae, ad exemplar tuum invariatum nitide & accurate deſcripta, ad praelum paro, elegantioribus literis & charta mox imprimenda, quæ ad harmoniam praeſtabilitam quoad unionem animae & corporis attinent, methodo geometrica addi potuiſſent, optandum id omnino neqve inutile fuiſſet. Quod ſi id à te ſperare non liceat, haud aegre feres, meditationem tuam de eadem materia, Ideae Boni Diſputatoris annexam, theorematibus iterum annecti.* Et paucis interjectis: *diffiteri non poſſum, unionem animæ cum corpore & quicquid ad illam ſpectat, nec DEO dignius nec philoſopho convenientius explicari vel proximius concipi poſſe, quam more iſto Leibnitiano, mihique videri, licet à puero Philoſophiæ Carteſianæ totus innutritus ſim, multo pluribus Carteſianam unionem difficultatibus, ipſis Carteſianis dogmatibus contradicentibus, implexam eſſe, quàm Leibnitianam per harmoniam præſtabilitam. Et vel ex hoc ſolo, ſatis mirari nequeo, quî doctrina tam elegans, DEO & rerum eſſentiis*

con-

consona in se ipsà, consequentiarum, nondum combinabilium, nexu in dubium vocetur, & cur inventores minus theologicè pœnis præmientur, ac publicè Atheismi criminis insimulentur. Sed nil novi, veritates, nondum inventas, ubi pullulare inceperunt, raro & à quàm paucis fotas esse: attentio quippe in hominibus non solum desideratur, sed & ut judicium, re, ad mentem inventoris nondum cognitâ, suspendere velint, vix & à paucis impetrari potest, quin potius ad hæretificandum proclivi pronoque impetu ruunt, si quæ ab opinionum, quibus quotusquisque imbutus est, etiamsi meliora occurrant, systematibus tantillum recedant. Et in literis, x. Octob. cIↃ IↃccxxv. ad me datis: *Jucundissimum* inquit, *fuisset non minus, quàm utilissimum, Meditationem de Unione mentis & corporis, in formam geometricæ demonstrationis redactam, Theorematibus hisce addi. Quod cùm optare quidem, sed obtinere per occupàtiones tuas hâc vice non licet, dabis tamen meo desiderio tantum, ut illa ipsa meditatio, quasi secundis curis, adnectatur. Nil mihi magis cordi*

erit, quàm à suspicione illusionis liberari Leibnitium, & doctrinam illam, altioribus ingeniis dignam, suæ fidei & evidentiæ restitui. Et de tempore foret eos, qui hoc argumento militant, realiter convicisse. Excitatus itaque Amici veteris voluntate, & memor promissi, Cel. WOLFIO in litteris, XXIII. Julii cIↃ IↃCCXXV. Marpurgum ad ipsum directis, dati, de Sententiis LEIBNITII, ex commercio epistolico, de rebus metaphysicis ante editam Theodicæam cum Per-Illustri Viro à me instituto, illustrandis, ut Tanti Viri in Scientiarum omnium Reginam merita orbi literato magis magisque innotescerent, primam, quam nunc exequor, de Principiis Philosophiæ Leibnitianis, more geometrico demonstrandis, suscepi cogitationem. Nihil autem in his demonstrationibus meum, omnia LEIBNITII sunt; etsi nullus dubito, quin LEIBNITIUS, si adhuc vitali hâc frueretur aurâ, quædam suo more paulò aliter esset inflexurus. Indictum igitur esto id omne, quod à mente Philosophi alienum est, nec mihi, quæ ex principiis LEIBNITII demonstro, imputantor. Meum autem de Principiis Philosophiæ Leibnitianis judicium hic non subnecto, sed alii tempori & occasioni reservo. Analogiam tamen id esse, quod mihi in Systemate Philosophiæ Leibnitianæ pulcrum videtur, ingenuè in antecessum fateor;

teor; de illius vel veritate vel uſu nihil jam determinans, neutrum tamen negans. Excerpta ex Epiſtolis Philoſophi, ad me quondam ſua manu datis, tanquam teſtibus omni exceptione majoribus, ideo addidi, ut poſteritas intelligeret, quid in reſtaurandis humanæ cognitionis Principiis LEIBNITIO debeat. In Hiſtoriæ enim Philoſophicæ Scriptoribus ſcientiam dogmatum ſufficientem merito deſiderat magnus pariter ævi noſtri Philoſophus CHRISTIANUS WOLFIUS (*) dum ex ignorantia ipſam inventionis gloriam tribuunt ſæpè illis, quibus ea non debetur. LEIBNITIUS ſæpè mihi faſſus eſt, in ſuâ poteſtate eſſe geometricam veritatum metaphyſicarum demonſtrationem. Nec erit facilè quisquam, qui, lectis cum attentione debitâ hiſce meis demonſtrationibus, affirmare audeat, Auctorem in principiis ſuis non niſi ſuavia ſomnia orbi literato obtuliſſe, quique non fateri neceſſum habeat, LEIBNITII dogmata, quæ jam primus in Syſtemate repræſento, & ex domeſticis Philoſophi principiis demonſtro,, prout idem in Partibus Prima & Secunda Principiorum CARTESII demonſtrandis tentatum eſt ante me, eſſe ordinatiſſima, & Auctorem ſine vanitate de Syſtemate ſuo dicere potuiſſe: (**)

Omnia

(*) *In Annotat. Metaph. §. CCXVIII. p. 342.*

(**) *Replique aux Reflexions de Mr. Bayle. Tom. II. Recueil de diverſes Pieces. p. 416.*

Omnia percepi atque animo mecum ante peregi.

Quod ſupereſt, Vale, Lector Philoſophe, & demonſtrationibus hiſce, ſi libet & licet, in inveniendis aliis veritatibus fruere. Dabam Viennæ Auſtriæ, a. d. XXVIII. Auguſti cIↄ Iↄccxxvii.



PRIN-



PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ,

Auctore
G. G. LEIBNITIO.

Ex
Actis Eruditorum Lipsiensibus Tom. VII. Supplementorum Sect. XI. p. 500. --- 514. inclus.

§. I.

MONAS, de quâ dicemus, non est nisi substantia simplex, quæ in composita ingreditur. Simplex dicitur, quæ partibus caret.

II. Necesse autem est, dari substantias simplices, quia dantur composita: neque enim compositum est nisi aggregatum simplicium.

III. Ubi non dantur partes, ibi nec extensio, nec figura, nec divisibilitas locum habet. Atque Monades istæ sunt veræ Atomi naturæ, &, ut verbo dicam, Elementa rerum.

IV. Neque etiam in iis metuenda est dissolutio, nec ullus concipi potest modus, quo substantia simplex naturaliter interire potest.

V. Ex eadem ratione non datur modus, quo substantia simplex naturaliter oriri potest, quoniam non aliter nisi per compositionem formari posset.

VI. Imo asserere licet, monades nec oriri, nec interire posse, nisi in instanti, hoc est, non incipere posse nisi per creationem, nec finiri nisi per annihilationem, cum è contrario composita incipiant ac finiantur per partes.

VII. Nullo etiam modo explicari potest, quomodo Monas alterari aut in suo interiori mutari queat per creaturam quandam aliam, quoniam in ea nihil transponere, neque ullum motum internum concipere licet, qui excitari, dirigi, augmentari aut diminui possit, quemadmodum in compositis contingit, ubi mutatio inter partes locum habet. Destituuntur Monades fenestris, per quas aliquid ingredi aut egredi valet. Accidentia non egrediuntur ex substantiis, quemadmodum aliàs species sensibiles Scholasticorum. Atque adeo neque substantia neque accidens in Monadem forinsecus intrare potest.

VIII. Opus tamen est, ut Monades habeant aliquas qualitates: aliàs nec Entia forent.

IX. Imo opus est, ut quælibet Monas differat ab alia quacunque. Neque enim unquam dantur in natura duo entia, quorum unum ex asse convenit cum altero, & ubi impossibile sit quandam reperire differentiam internam aut in denominatione intrinseca fundatam. Quod si substantiæ simplices qualitatibus non differrent; nulla etiam in rebus mutatio observari posset: quoniam, quod in composito reperitur, aliunde quam ex simplicibus ingredientibus resultare nequit. Et si Monades qualitatibus destituerentur, nec una ab altera distingui posset, quoniam eædem nec quantitate differunt: consequenter si plenum supponatur, locus quilibet in motu non reciperet nisi quod æquivaleret ei, cui succederet, & unus rerum status indiscernibilis foret ab altero.

X. Assumo etiam tanquam concessum, quod omne Ens creatum sit mutationi obnoxium, & consequenter etiam Monas creata; imo etiam quod mutatio sit in unaqualibet continua.

XI. Se-

XI. Sequitur ex hactenus dictis, mutationes naturales Monadum à principio interno proficisci, propterea quod causa externa in ejus interius influere nequit. Et generaliter adfirmare licet, vim non esse nisi principium mutationum.

XII. Opus etiam est, ut præter principium mutationum detur quoddam Schema ejus, quod mutatur, quod efficit, ut ita dicam, specificationem ac varietatem substantiarum simplicium.

XIII. Involvere istud debet multitudinem in unitate aut simplici. Omnis enim mutatio naturalis cum per gradus fiat, aliquid mutatur, & aliquid remanet, consequenter in substantia simplici datur quædam pluralitas affectionum ac relationum, quamvis partibus careat.

XIV. Status transiens, qui involvit ac repræsentat multitudinem in unitate seu substantia simplici, non est nisi istud, quod Perceptionem adpellamus, quam probe distinguere debemus, ab Apperceptione seu Conscientia, quemadmodum in sequentibus patebit. Atque in hoc lapsi sunt Cartesiani, quod pro nihilo reputaverint perceptiones, quarum nobis non sumus conscii. Propter hanc quoque rationem sibi persuaserunt, solos Spiritus esse Monades, nec dari Animas brutorum, nec alias entelechias, & cum vulgo longum stuporem cum morte rigorose sic dicta confuderunt: unde porro in præjudicium Scholasticorum de animabus prorsus separatis prolapsi, & ingenia perversa in opinione de mortalitate animarum confirmata sunt.

XV. Actio principii interni, qua fit mutatio seu transitus ab una perceptione ad alteram, Appetitus adpellari potest. Verum equidem est, quod appetitus non semper prorsus pervenire possit ad omnem perceptionem, ad quam tendit; semper tamen aliquid ejus obtinet, atque ad novas perceptiones pervenit.

XVI. Ipsimet experimur multitudinem in substantia simplici, quandoquidem deprehendimus, minimam cogi-

tationem, cujus nobis conscii sumus, involvere varietatem in objecto. Omnes itaque, qui agnoscunt, animam esse substantiam simplicem, hanc multitudinem in Monade admittere debent, atque BAELIUS ea in re difficultates facessere non debebat, quemadmodum fecit in suo Dictionario, articulo *RORARIUS.*

XVII. Negari tamen nequit, perceptionem, & quod inde pendet, per rationes mechanicas explicari non posse, hoc est, per figuras & motum. Quod si fingamus, dari machinam, quæ per structuram cogitet, sentiat, percipiat; non obstat, quo minus, iisdem proportionibus retentis, sub majore mole construi concipiatur, ita ut in eam aditus nobis concedatur, tanquam in molendinum. Hoc supposito, intus nil deprehendemus nisi partes, se mutuo impellentes, nec unquam aliud quicquam, per quod perceptio explicari queat. Hoc itaque in substantia simplici, non in composita seu machina quærendum. Imo etiam præter istud in substantia simplici non reperietur aliud, hoc est, præter perceptiones earumque mutationes in ea nil datur: Atque in hoc solo consistere debent omnes actiones internæ substantiarum simplicium.

XVIII. Nomen Entelechiarum imponi posset omnibus substantiis simplicibus seu monadibus creatis. Habent enim in se certam quandam perfectionem (ἔχουσι τὸ ἐντελές) datur quædam in iis sufficientia, (αὐτάρκεια) vi cujus sunt actionum suarum internarum fontes, quasi automata incorporea.

XIX. Quod si Animam adpellare libet, quicquid perceptionem & appetitum habet in sensu generali, quem modo explicavimus; omnes substantiæ simplices aut monades creatæ adpellari possent Animæ. Enimvero cum apperceptio aliquid amplius importet quam simplicem quandam perceptionem: consultius est, ut nomen generale Monadum & Entelechiarum sufficiat substantiis simplicibus,

quæ

quæ ſimplici perceptione gaudent, & Animæ appellentur tantummodo iſtæ, quarum perceptio eſt magis diſtincta & cum memoria conjuncta.

XX. In nobis enim ipſis experimur ſtatum quendam, in quo nihili recordamur, nec ullam perceptionem diſtinctam habemus, veluti cùm deliquio animi laboramus, aut quando ſomno profundo abſque inſomnio oppreſſi ſumus. In hoc ſtatu Anima quoad ſenſum non differt à ſimplici Monade. Sed cum ſtatus iſte non perduret, aliquid amplĭus ſit neceſſe eſt.

XXI. Atque inde non ſequitur, quod tunc ſubſtantia ſimplex careat omni perceptione. Fieri hoc nequit per rationes modo dictas: neque enim perire, nec ſine omni variatione ſubſiſtere poſſet, quæ aliud eſſe nequit, quam ipſius perceptio. Enimvero quando ingens adeſt exiguarum perceptionum multitudo, ubi nihil diſtincti occurrit, mens ſtupet, quemadmodum in gyrum aliquoties celeriter acti vertigine corripimur, qui attentionem evaneſcere facit, ita ut nihil diſtinguere valeamus. Iſtiusmodi ſtatum ad tempus animalibus mors conciliare valet.

XXII. Et quemadmodum omnis præſens ſubſtantiæ ſimplicis ſtatus naturaliter ex præcedente conſequitur, ita ut præſens ſit gravidus futuro:

XXIII. Ita quoque cum evigilantes ab iſto ſtupore perceptionum noſtrarum conſcii ſimus, neceſſe omnino eſt, ut aliquas immediate ante habuerimus, quamvis earum conſcii non fuerimus. Etenim perceptio naturaliter non oritur niſi ex alia perceptione, quemadmodum motus naturaliter non oritur niſi ex motu.

XXIV. Apparet inde, nos, quando nihil diſtincti &, ut ita loquar, ſublimis ac guſtûs altioris in noſtris perceptionibus habemus, in perpetuo fore ſtupore. Atque is Monadum nudarum ſtatus eſt.

XXV. Videmus etiam, naturam dediſſe animantibus

perceptiones ſublimes, dum iis organa conceſſit, quæ complures radios luminis aut complures undulationes aëris colligunt, ut per unionem fiant magis efficaces. Simile quid in odore, ſapore & tactu, forſitan in aliis etiam ſenſationibus bene multis, ſed nobis incognitis, occurrit: atque mox explicabo, quomodo, quod in animâ accidit, repræſentet illud, quod fit in organis.

XXVI. Memoria ſpeciem Conſecutionis ſuppeditat animabus, quæ rationem imitatur, ſed ab ea diſtingui debet. Videmus ideo, animantia, dum percipiunt objectum, quod ipſa ferit, & cujus ſimilem perceptionem antea habuere, per repræſentationem memoriæ exſpectare, quod eidem in perceptione præcedente jungebatur, & ad ſenſationes ferri ſimiles iis, quas tum habuerant. E. gr. quando baculus monſtratur canibus, doloris, quem ipſis cauſatus eſt recordantur, clamant & fugiunt.

XXVII. Et imaginatio fortis, quæ ipſos ferit ac movet, vel à magnitudine, vel à multitudine perceptionum præcedentium proficiſcitur. Interdum enim idem eſt impreſſionis fortis, uno ictu factæ, effectus, qui diuturni habitus aut multarum perceptionum mediocrium, ſæpius repetitarum.

XXVIII. Homines beſtiarum inſtar agunt, quatenus Conſecutiones perceptionum, quas habent, non niſi a principio memoriæ pendent, & inſtar Medicorum empiricorum agunt, qui ſimplici praxi absque theoria utuntur. Et nos non niſi empirici ſumus in tribus actionum noſtrarum quartis, e. gr. quando lucem diei craſtini exſpectamus, empirice agimus, propterea quod conſtanter ita factum fuit. Soli Aſtronomi per rationem judicant.

XXIX. Enimvero cognitio veritatum neceſſariarum & æternarum eſt id, quod nos ab animantibus ſimplicibus diſtinguit & rationis ac ſcientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem noſtri atque DEI elevat. Atque hoc eſt,

iſtud,

iſtud, quod in nobis Anima rationalis ſive Spiritus appellatur.

XXX. Cognitioni veritatum neceſſariarum & earum abſtractionibus acceptum referri debet, quod ad actus reflexos elevati ſimus, quorum vi iſtud cogitamus, quod Ego appellatur, & hoc vel iſtud in nobis eſſe conſideramus. Et inde etiam eſt, quod nosmet ipſos cogitantes de Ente, de ſubſtantia cum ſimplici tum compoſita, de immateriali & ipſo DEO cogitemus, dum concipimus, quod in nobis limitatum eſt, in ipſo ſine limitibus exiſtere. Atque hi actus reflexi præcipua largiuntur objecta ratiociniorum noſtrorum.

XXXI. Ratiocinia noſtra duobus magnis principiis ſuperſtructa ſunt. Unum eſt principium contradictionis, vi cujus Falſum judicamus, quod contradictionem involvit, & Verum, quod falſo opponitur vel contradicit.

XXXII. Alterum eſt Principium rationis ſufficientis, vi cujus conſideramus, nullum factum reperiri poſſe verum, aut veram exiſtere aliquam enunciationem, niſi adſit ratio ſufficiens cur potius ita ſit quam aliter, quamvis rationes iſtæ ſæpiſſimè nobis incognitæ eſſe queant.

XXXIII. Quando veritas neceſſaria, ratio reperiri poteſt per analyſin, dum eam reſolvimus in ideas & veritates ſimpliciores, donec ad primitivas perventum fuerit.

XXXIV. Hoc pacto apud Mathematicos theoremata ſpeculationis & canones praxeos reducuntur per analyſin ad definitiones, axiomata & poſtulata.

XXXV. Et dantur tandem Ideæ ſimplices, quarum definitiones dare non licet. Dantur etiam Axiomata & Poſtulata, aut verbo Principia primitiva, quæ probari nequeunt, nec probatione indigent, atque iſta ſunt enunciationes identicæ.

XXXVI. Enimvero Ratio ſufficiens reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus vel facti, hoc eſt, in ſerie rerum, quæ reperitur in univerſo creaturarum, ubi reſolutio

in

in rationes particulares progredi posset in infinitum, propter immensam rerum naturalium varietatem & divisionem corporum in infinitum. Datur infinitudo figurarum & motuum præsentium atque præteritorum, qui ingrediuntur in causam efficientem scripturæ meæ præsentis, & infinitudo exiguarum inclinationum ac dispositionum animæ meæ, præsentium atque præteritarum, quæ ingrediuntur in causam finalem.

XXXVII. Et quemadmodum tota hæc series non nisi alia contingentia anteriora involvit, quorum unumquodque simili analysi opus habet, ubi rationem reddere voluerimus, progressus nil juvat: necesse est, rationem sufficientem seu ultimam extra seriem contingentium reperiri, quantumvis infinita ponatur.

XXXVIII. Propterea quoque ratio ultima rerum in substantia quadam necessaria contineri debet, in qua series mutationum non nisi eminenter existat, tanquam in fonte suo.

XXXIX. Jam cum substantia ista sit ratio sufficiens omnis istius seriei, quæ etiam prorsus connexa est; non nisi unus datur DEUS, atque hic DEUS sufficit.

XL. Judicare etiam licet, quod substantia ista suprema, quæ est unica, universalis & necessaria, cum nihil extra se habeat, quod ab ea non dependeat, & simplex rerum possibilium series existat, limitum capax esse nequit & omnem realitatem possibilem continere debet.

XLI. Unde sequitur, DEUM esse absolutè perfectum, cum perfectio non sit nisi magnitudo realitatis positivæ præcisè sumta, sepositis rerum limitationibus.

XLII. Sequitur hinc etiam, creaturas habere perfectiones suas ab influxu DEI; sed imperfectiones à propria natura, essentiæ sine limitibus incapaci. In eo enim à DEO distinguuntur.

XLIII. Verum etiam est, in DEO non modo esse fontem

fontem existentiarum, verum etiam essentiarum, quatenus reales sunt, aut ejus, quod in possibilitate reale est. Propterea Intellectus DEI est regio veritatum æternarum aut idearum, unde dependent, & sine ipso nihil realitatis foret in possibilitatibus, & nihil non modo existeret, sed nihil etiam possibile foret.

XLIV. Etenim opus est, ut, si quid realitatis in essentiis aut possibilitatibus, aut potius in veritatibus æternis fuerit, hæc realitas fundetur in aliqua re existente & actuali, & consequenter in existentia entis necessarii, in quo essentia includit existentiam, aut in quo sufficit esse possibile, ut sit actuale.

XLV. Ita DEUS solus, (seu Ens necessarium) hoc privilegio gaudet, quod necessario existat, si possibilis est. Et quemadmodum nihil possibilitatem ejus impedit, quod limitum expers, nec ullam negationem, consequenter nec contradictionem involvit, hoc unum sufficit ad cognoscendam existentiam DEI à priori. Nos eam quoque probavimus per realitatem veritatum æternarum.

XLVI. Enimvero eandem jam probabimus à posteriori, quia scilicet res contingentes existunt, quæ rationem ultimam seu sufficientem habere nequeunt, nisi in Ente nenessario, quod rationem existentiæ suæ in se ipso habet.

XLVII. Nihilominus tamen cum nonnullis nobis imaginari non debemus, veritates æternas, cùm à DEO dependeant, arbitrarias esse & à voluntate ipsius pendere, quemadmodum CARTESIUS & postea POIRETUS statuit. Id verum non est, nisi de veritatibus contingentibus, cum è contrario necessariæ unice dependeant ab intellectu ejus & sint objectum ipsius internum.

XLVIII. Ita DEUS solus est Unitas primitiva seu substantia simplex originaria, cujus productiones sunt omnes monades creatæ aut derivativæ, & nascuntur, ut ita loquar,

per continuas Divinitatis fulgurationes, per receptivitatem creaturæ limitatas, cui essentiale est esse limitatum.

XLIX. Datur in DEO Potentia, quæ est fons omnium, deinde Cognitio, quæ continet Idearum schema, & tandem Voluntas, quæ mutationes efficit seu productionem secundum Principium melioris.

L. Atque hoc est istud, quod respondet ei, quod in Monadibus creatis facit subjectum seu basin facultatis perceptivæ & facultatis adpetitivæ. Sed in DEO hæc attributa sunt absolutè infinita, aut perfecta, & in Monadibus creatis aut Entelechiis (aut Perfectihabeis, quemadmodum HERMOLAUS BARBARUS traduxit hanc vocem) non sunt nisi imitationes, pro mensura perfectionis, quam habent.

LI. Creatura dicitur Agere extra se, quatenus habet perfectionem, & Pati ab alia, quatenus est imperfecta. Ita Monadi actionem tribuimus, quatenus habet perceptiones distinctas, & passiones, quatenus confusas habet.

LII. Et una creatura perfectior est altera in eo, quod reperiamus in ea, quod inservit rationi reddendæ de eo, quod in altera contingit, & propterea dicimus, quod in alteram agat.

LIII. Sed in substantiis simplicibus influxus unius Monadis in alteram tantum idealis est, qui effectum sortiri nequit nisi DEO interveniente, quatenus in ideis DEI una Monas cum ratione postulat, ut DEUS, ordinans ceteras, in principio rerum ipsius rationem habeat. Quoniam enim Monas una physice influere nequit in interius alterius; aliud non datur medium, per quod una ab alterâ dependere valeat.

LIV. Atque ideo actiones & passiones creaturarum mutuæ sunt. DEUS enim duas substantias simplices inter se comparans, in unaqualibet rationes deprehendit, quibus obligatur unam aptare alteri, & consequenter id, quod acti-

activum eſt, quatenus certo reſpectu paſſivum ſecundum alium conſiderandi modum; activumnempe, quatenus id, quod diſtinctè in eo cognoſcitur, inſervit rationi reddendæ de eo, quod in alia contingit, & paſſivum, quatenus ratio de eo, quod in ipſa contingit, reperitur in eo, quod diſtincte cognoſcitur in alterâ.

LV. Quemadmodum vero infinita ſunt univerſa poſſibilia in ideis DEI & eorum non niſi Unicum exiſtere poteſt; ita neceſſe eſt, dari rationem ſufficientem Electionis divinæ, quæ DEUM ad unum potius, quam ad alterum determinet.

LVI. Atque hæc ratio reperiri nequit niſi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent, cum quodvis poſſibile habeat jus prætendendi exiſtentiam pro ratione perfectionis, quam involvit.

LVII. Atque id ipſum cauſa eſt exiſtentiæ melioris, quod DEUS vi Sapientiæ cognoſcit, vi Bonitatis eligit, & vi Potentiæ producit.

LVIII. Atque huic adaptationi rerum omnium creatarum ad unamquamque & uniuscujusque ad ceteras omnes tribuendum, quod quælibet ſubſtantia ſimplex habeat reſpectus, quibus exprimuntur ceteræ omnes, & per conſequens Speculum vivum perpetuum univerſi exiſtat.

LIX. Et ſicuti eadem urbs, ex diverſis locis ſpectata, alia adparet & optice quaſi multiplicatur, ita ſimiliter accidit, ut propter multitudinem infinitam ſubſtantiarum ſimplicium dentur quaſi totidem differentia univerſa, quæ tamen non ſunt niſi ſcenographicæ repræſentationes unici ſecundum differentia puncta viſûs uniuscujusque monadis.

LX. Atque hoc ipſum medium eſt obtinendi tantum varietatis, quantum poſſibile, ſed cum maximo ordine qui fieri poteſt, hoc eſt, medium obtinendi tantum perfectionis, quantum poſſibile.

LXI. Neque etiam alia datur, quam hæc hypotheſis,

quæ, prout fieri debet, magnitudinem DEI elevat: (id quod BAELIUS agnovit, cum in Dictionario suo, articulo *RORARIUS* objectiones quasdam proposuit, immo sibi persuasit, quod DEO nimium & ultra quod possibile est, tribuam) sed nullam rationem allegare potuit, cur hæc harmonia, ob quam quælibet substantia exacte exprimit ceteras omnes per respectus, quos ad eas habet, sit impossibilis.

LXII. Ceterum ex eo, quod modo retuli de rationibus à priori, videmus, cur res aliter se habere nequeant, quoniam DEUS, totum ordinans, respexit ad quamlibet partem & inprimis ad unamquamque Monadem, cujus natura cum sit repræsentativa, nihil est quod eam limitare posset ad unam tantum rerum partem repræsentandam, quanquam verum sit, quod hæc repræsentatio non sit nisi confusa respectu partium universi, nec distincta esse possit, nisi quoad exiguam rerum partem, hoc est, earum, quæ aut propiores sunt, aut majores respectu uniuscujusque Monadis, aliàs quælibet Monas foret aliqua divinitas. Non in objecto, sed in modificatione cognitionis objecti Monades limitatæ sunt. Omnes confuse ad infinitum tendunt, sed limitantur & distinguuntur per gradus perceptionum distinctarum.

LXIII. Atque in eo compositæ cum simplicibus conveniunt. Quoniam enim omnia plena sunt & per consequens omnis materia connexa, & quemadmodum in pleno omnis motus effectum quendam sortitur in corporibus distantibus pro ratione distantiæ, ita ut unumquodque corpus non modo afficiatur ab iis, quæ ipsum tangunt, & quodammodo percipiat, quod ipsis accidit, verum etiam, mediantibus ipsis, adhuc percipiat ea, quæ prima tangunt, à quibus ipsum immediate tangitur; ideo inde sequitur, hanc communicationem procedere ad quamlibet distantiam. Et per consequens omne corpus ab omni eo afficitur, quod in universo accidit, ita ut is, qui omnia perspicit, in unoquoque legere possit, quod per totum accidit, immo etiam quod jam

factum,

factum ; aut adhuc futurum, in præsenti observans, quidquid tam secundum tempus, quam secundum spatium elongatur. Σύμπνοια πάντα dicebat HIPPOCRATES. Enimvero anima in se ipsa legere nequit, nisi quod distincte in ipsa repræsentatur ; non omnes suas perceptiones una evolvere valet, quoniam ad infinitum tendunt.

LXIV. Quamvis itaque quælibet Monas creata totum universum repræsentet ; multo tamen distinctius repræsentat corpus, quod ipsi peculiari ratione adaptatum est & cujus Entelechia existit. Et sicuti hoc corpus exprimit totum universum per connexionem omnis materiæ in pleno, ita etiam anima totum repræsentat universum, dum repræsentat hoc corpus, quod ad ipsam spectat peculiari quâdam ratione.

LXV. Corpus spectans ad Monadem, cujus Entelechia vel Anima existit, constituit cum Entelechia id, quod Vivens adpellatur, & cum Anima id, quod Animal salutatur.

LXVI. Est vero corpus viventis vel animalis semper organicum. Etenim cum quælibet Monas sit speculum universi suo modo & universum perfecto ordine gaudeat, ordo etiam esse debet in repræsentante, h. e. in perceptionibus animæ, & per consequens in corporibus, secundum quæ universum in eis repræsentatur.

LXVII. Ita quodlibet corpus organicum viventis est species machinæ divinæ aut automati naturalis, quod omnia automata artificialia infinitis modis antecellit, quoniam machina, arte hominis facta, non est machina in qualibet parte. E. gr. Dentes rotæ partes habent seu fragmina, quæ non amplius artificiale quid sunt, nec quidquam habent, quod machinam connotet, respectu usus, cui rota destinatur. Machinæ verò Naturæ, h. e. corpora viventia sunt adhuc machinæ in minimis partibus usque in infinitum. Atque in eo consistit discrimen inter Naturam & Artem, h. e. inter Artem divinam & nostram.

LXVIII. Et fieri potuit, ut Autor Naturæ hoc arti-

ficium divinum & prorsus mirabile in praxin deduceret, quia portio quælibet materiæ non modo divisibilis in infinitum, sicuti veteres agnovêre, verum etiam actu subdivisæ in infinitum, qualibet parte peculiari motu gaudente: alias fieri haudquaquam posset, ut quælibet portio materiæ totum exprimeret universum.

LXIX. Liquet inde, in minima portione materiæ dari mundum creaturarum viventium, animalium, entelechiarum, animarum.

LXX. Quælibet materiæ portio concipi potest instar horti pleni plantis & instar piscinæ plenæ piscibus. Sed quilibet ramus plantæ, quodlibet membrum animalis, quælibet gutta humorum ipsius est denuò hortus aut piscina istiusmodi.

LXXI. Et quamvis terra atque aër inter plantas horti, aut aqua, inter pisces piscinæ intercepta, non sit planta, neque piscis, nihilominus plantas & pisces continent, sed plerumque subtilitate nobis imperceptibili.

LXXII. Ita nihil incultum, nihil sterile, nihil mortuum datur in universo, nullum chaos, nulla confusio, nisi quoad adparentiam, quemadmodum in piscina ad aliquam distantiam adpareret, ubi motus confusus piscium videtur, nec tamen ipsos pisces discernere licet.

LXXIII. Videmus hinc, quodlibet corpus vivum habere Entelechiam unam dominantem, quæ est anima in animali; sed membra hujus corporis viventis plena sunt aliis viventibus, plantis, animalibus, quorum unumquodque iterum suam habet entelechiam seu animam dominantem.

LXXIV. Enimvero haudquaquam nobis cum nonnullis imaginari debemus, qui mentem meam parum perspexerunt, animam unamquamque habere massam quandam aut portionem materiæ propriæ, & per consequens possidere alia viventia inferiora semper ad ipsius servitia destinata. Omnia enim corpora rivorum instar in perpetuo sunt fluxu

& par-

& partes aliæ continuo ingrediuntur, aliæ egrediuntur.

LXXV. Ita Anima non mutat corpus nisi sensim sensimque & per gradus, ita ut nunquam omnibus suis organis uno quasi ictu privetur. Et dantur sæpius metamorphoses in animalibus, sed nunquam metempsychosis seu transmigratio animarum locum habet. Neque etiam dantur Animæ prorsus separatæ.

LXXVI. Atque ideo etiam nulla datur generatio, nec mors perfecta, rigorose loquendo. Sunt enim evolutiones & accretiones, quas Generationes appellamus; quemadmodum involutiones & diminutiones, quod Mortem vocamus.

LXXVII. Perplexos reddidit Philosophos Origo Formarum, Entelechiarum aut Animarum; sed postquam hodie observationibus exactis de plantis, insectis & animalibus compertum est, quod hæcce corpora organica naturæ nunquam ex chao seu putrefactione prodeant, sed constanter per Semina, in quibus sine omni dubio datur quædam præformatio; hinc concluditur, corpus non modo organicum jam præextitisse ante conceptionem, sed etiam animam in hoc corpore, h. e. Animal ipsum. Et per conceptionem Animal istud tantummodo disponitur ad magnam quandam transformationem, ut fiat animal alterius speciei. Simile quid videmus extra generationem, e. gr. quando vermes fiunt muscæ & erucæ papiliones.

LXXVIII. Animalia, quorum nonnulla elevantur ad gradum maximorum Animantium, ope conceptionis appellari possunt Spermatica: sed ea, quæ speciem non mutant, nascuntur, multiplicantur & destruuntur, quemadmodum Animalia magna. Parvus admodum numerus est Electorum, qui ad theatrum majus progrediuntur.

LXXIX. Sed hæc non nisi dimidia veritatis pars est. Judicavi igitur, si animal nunquam naturaliter incipit, nec

unquam

unquam naturaliter finiri debere, & non modo nullam dari Generationem, verum etiam nullam destructionem totalem, seu Mortem rigorose sumtam. Atque ratiocinia ista, à posteriori facta, optime cum principiis meis, ante à priori deductis, concordant.

LXXX. Ita asserere licet, non modo animam (mundi indestructibilis speculum) esse indestructibilem; verum etiam Animal ipsum, quamvis machina ipsius sæpius ex parte pereat & involucra organica linquat, vel capiat.

LXXXI. Hæc principia dedere mihi medium naturaliter explicandi Unionem aut potius conformitatem animæ ac corporis organici. Anima suas sequitur leges & corpus itidem suas: conveniunt vero inter se vi harmoniæ, inter omnes substantias præstabilitæ, quoniam omnes repræsentationes sunt ejusdem Universi.

LXXXII. Animæ agunt secundum Leges causarum finalium per appetitiones, fines & media. Corpora agunt secundum Leges causarum efficientium seu motuum. Et duo regna, alterum nempe causarum efficientium, alterum causarum finalium, sunt harmonica inter se.

LXXXIII. Cognovit CARTESIUS, animam non posse dare vim corporibus, quoniam eadem semper virium quantitas in materia conservatur; credidit tamen, animam posse mutare directionem corporum. Id quidem ideo factum est, quod ipsius tempore Lex Naturæ ignoraretur, quæ vult, eandem semper directionem totalem conservari in materia. Quod si hoc observasset, in Systema meum Harmoniæ Præstabilitæ incidisset.

LXXXIV. In hoc Systemate corpora agunt, ac si (per impossibile) nullæ darentur animæ, ac animæ agunt, ac si corpora nulla darentur, & ambo agunt, ac si unum influeret in alterum.

LXXXV. Quod Spiritus seu Animas rationales concernit, quamvis reperiam, eodem modo se rem habere cum

omni-

omnibus viventibus & animantibus, quemadmodum dixi, (§. LXXX.) ſcilicet quod Animal & Anima nec oriantur niſi cum Mundo, nec intereant niſi cum Mundo: id tamen peculiare eſt in Animalibus rationalibus, quod ipſorum Animalcula Spermatica, qua talia, habeant tantum Animas ordinarias ſeu ſenſitivas, ſed quæ electa ſunt, ut ita dicam, & ad naturam humanam ope conceptionis actualis perveniunt, eorum Animæ ſenſitivæ elevantur ad gradum rationis & prærogativam Spirituum.

LXXXVI. Inter alias differentias, quæ inter Animas ordinarias & Spiritus intercedunt, & quarum partem jam expoſui, etiam illa datur, quod Animæ in genere ſint Specula viventium ſeu imagines Univerſi creaturarum; ſed quod Spiritus inſuper ſint imagines ipſius Divinitatis, ſeu Autoris Naturæ, quæ Syſtema univerſi cognoſcere & aliquid ejus per ſcintillulas architectonicas imitari poſſunt, cum Spiritus unusquisque ſit parva quædam Divinitas in ſuo genere.

LXXXVII. Atque inde eſt, quod Spiritus ſint capaces Societatis alicujus cum DEO ineundæ, & quod ipſe eorum reſpectu non ſolum ſit Inventor, qualis eſt reſpectu creaturarum ceterarum, ſed inſuper Princeps & Parens, h. e. eam habeat ad ipſos relationem, quem Princeps ad ſuos ſubditos, & Parens ad liberos ſuos.

LXXXVIII. Inde haud difficulter infertur, omnes Spiritus ſimul ſumtos conſtituere Civitatem DEI, h. e. regnum omnium perfectiſſimum ſub perfectiſſimo Monarcha.

LXXXIX. Hæc Civitas DEI, hæc Monarchia, vere univerſalis, eſt Mundus moralis in mundo naturali, & id maxime ſublime & divinum eſt in operibus DEI, atque in hoc revera Gloria DEI conſiſtit, quoniam nulla daretur, niſi Magnitudo & Bonitas Ejus à Spiritibus cognoſceretur ipſisque admirationi eſſet. Reſpectu hujus Civitatis divinæ datur Boni-

tas proprie ſic dicta, cum è contrario Sapientia & Potentia ubique eluceant.

XC. Quemadmodum ſupra (§. LXXXII.) Harmoniam perfectam ſtabilivimus inter duo Regna naturalia, alterum cauſarum efficientium, alterum finalium: ita hic nobis alia Harmonia commemoranda venit, quæ inter Regnum phyſicum naturæ & Regnum morale gratiæ intercedit, h. e. inter DEUM, quatenus conſideratur ut Architectus machinæ, & inter DEUM eundem, quatenus ut Monarcha Civitatis divinæ Spirituum ſpectatur.

XCI. Ab hac harmonia pendet, quod res deducant ad gratiam per ipſas vias naturæ, & quod hic globus e. gr. deſtrui & reparari debeat per media naturalia iis momentis, quando regimen ſpirituum id poſtulat ad aliquos puniendos, ceteros remunerandos.

XCII. Aſſeverare etiam licet, DEUM tanquam Architectum, ſatisfacere DEO, tanquam Legislatori, ex aſſe, atque ſic peccata conſequi debere pœnas per ordinem naturæ & ſtructuræ mechanicæ rerum, bonas etiam actiones ſecum trahere remunerationes per media machinalia reſpectu corporum, quamvis idem nec poſſit, nec debeat conſtanter extemplo accidere.

XCIII. Tandem ſub perfectiſſimo hoc regimine nulla datur actio bona ſine remuneratione, nulla mala ſine pœna, & omnia vergere debent in ſalutem bonorum, h.e. eorum, qui regimine divino contenti ſunt in magno hoc regno, qui confidunt in providentia divina & qui amant atque imitantur, ut par eſt, Autorem omnis boni, voluptatem percipientes ex conſideratione perfectionum ipſius, ſecundum naturam Amoris puri & veri, vi cujus voluptatem percipimus ex ejus, quem amamus, felicitate. Atque ideo perſonæ ſapientes ac virtuoſæ perficere conantur, quidquid voluntati divinæ præſumtivæ & antecedenti conforme apparet, &, hoc non obſtante, in iis adquieſcunt, quæ per voluntatem

divi-

divinam ſecretam, conſequentem & deciſivam acta contingunt, quoniam agnoſcunt, quod ſi ordinem naturæ ſatis intelligeremus, deprehenſuri ſimus, eadem vota ſapientiſſimi longe ſuperare, nec fieri poſſe, ut meliora reddantur ſive intuitu totius Univerſi in genere, ſive etiam reſpectu noſtrûm in ſpecie. Siquidem, prout par eſt, Autori omnium adhæremus, non modo, tanquam Architecto & cauſæ efficienti eſſentiæ noſtræ, verum etiam tanquam Magiſtro noſtro atque cauſæ finali, cujus eſt efficere quod volumus, & qui ſolus nos felices reddere valet.



G. G. LEIBNITII PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ, more geometrico demonſtrata.

DEFINITIONES.

DEF. I.

CONTRADICTIO eſt ſimultanea unius ejusdemque prædicati de uno eodemque ſubjecto affirmatio & negatio. *Principia Philoſophiæ* §. 45.

Scholion. Ita e. gr. in hac Propoſitione: *quicquid exiſtit, illud non exiſtit*, exiſtentia de eodem ſubjecto affirmatur ſimul & negatur.

II. IMPOSSIBILE eſt id, quod involvit contradictionem. 31.

Scholion. Philoſophus noſter vocat *Falſum*, quatenus *Vero* contradicit.

III. IMPOSSIBILE ABSOLUTE est, quod in se citra connexionem cum aliis involvit contradictionem.

Scholion. Ita *Circulus quadratus* est impossibilis.

IV. IMPOSSIBILE RESPECTIVUM est, quod non in se, sed in connexione cum aliis involvit contradictionem.

Scholion. Ita *Homo, mali moralis incapax*, non in se, sed in connexione cum serie rerum optima implicat. Conf. etiam *LEIBNITIUS Epist. V. ad CLARCKIUM. §. 25. p. 94.*

G. G. Leibnitius. Principia Philosophiæ. §. 31.

V. POSSIBILE est quod non involvit contradictionem.

Scholion. Philosophus etiam vocat *Verum*, quatenus *Falso* contradicit.

VI. POSSIBILE ABSOLUTE (SIMPLICITER) (POSSIBILE INTRINSECUM) est, quod in se solùm nullam involvit contradictionem extra omnem cum aliis connexionem.

Scholion. Ita *Leges motuum, à Legibus, quas observamus, diversæ*, sunt absolutè possibiles.

VII. POSSIBILE RESPECTIVUM (EXTRINSECUM) est, quod etiam in connexione cum aliis possibilibus nullam involvit contradictionem.

Scholion. Ita omne id est possibile, quod in hoc præcise mundo, non in alio quocunque possibili, vel fuit, vel est, vel erit.

VIII. POSSIBILIA PRIMA sunt possibilia illa, propter quæ reliqua omnia possibilia sunt.

IX. ENS est id omne, quod est possibile absolutè.

§. coll. 2 X. Si ENS dicitur id omne, quod est possibile absolutè, NIHIL, vel NON-ENS dicendum est, quod est impossibile absolutè.

XI. MODUS ENTIS est omne id, quod sine Ente, cui inesse vel adesse intelligitur, non est possibile.

§. 42. 62. XII. ESSENTIA (NATURA) ENTIS est primum illud, propter quod reliqua omnia Enti alicui inesse posse intelliguntur.

Coroll. *Essentia*, est modus, quo Ens possibile esse intelligitur, *per def. 9.*

Scho-

Scholion. Ex. gr. *Essentia circuli* est modus, quo circulus ex elementis suis generatur: *Essentia horologii* est modus, quo ex partibus suis, structuram ingredientibus, horologium componi potest: *Essentia arboris* est modus, quo Arbor ex folio nasci potest. Vid. CL. LUD. PHIL. THUMMIGIUS in Experimento singulari de Arboribus, ex folio educatis, ad rationes physicas revocato. *Lud. Phil. Thümmigius.*

XIII. EXISTENTIA ENTIS est essentiæ entis actualitas.

Coroll. I. Existentia est modus, quo possibilitas ejus, quod absolute possibile est, fit actualis, *per def. 9.*

Coroll. II. Modus actualitatis includit & sequitur modum possibilitatis.

XIV. PROPRIETAS (AFFECTIO, ATTRIBUTUM) ENTIS est illud omne, quod propter solam essentiam enti alicui inesse posse intelligimus. *Principia Philosophiæ. §. 32, 37, 55.*

XV. RATIO SUFFICIENS (ULTIMA) est id, ex quo intelligi & explicari potest, cur aliquid existat potius, quam non existat, & cur hoc potius, quàm alio modo existat.

XVI. PRINCIPIUM in genere est id, in quo aliquid rationem sufficientem invenit: diciturque INTERNUM, quatenus ratio illa est in ente; EXTERNUM, quatenus est extrà ens aliquod in alio Ente.

XVII. PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS est pugna affirmationis & negationis unius de eodem, quatenus in illâ ratio sufficiens continetur, cur idem de eodem simul affirmare & negare in potestate nostrâ non sit positum, *per def. 1. & 16.* *33.*

XVIII. PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS est id, in quo omnia, quæ existunt, rationem ultimam inveniunt, ex quâ intelligi potest, cur potius ita, quam aliter existant, *per def. 15. & 16.* *32.*

XIX. ENS A SE (ENS INCREATUM) est Ens, quod rationem sufficientem, cur potius existat, quam non existat, in se ipso agnoscit.

G. G. Leibnitius. Scholion. Videtur PHILOSOPHUS in Principiis Philosophiæ §. XLV. *Ens necessarium* ab *Ente à se* non distinguere. Sed §. tamen immediatè præcedenti Ideam *Enti necessario* peculiarem disertè assignat.

Principia Philosophiæ. XX. ENS AB ALIO, (ENS CREATUM, CREATURA) est Ens, quod rationem sufficientem essentiæ & existentiæ suæ agnoscit in alio Ente existente.

§ 43. XXI. CONTINGENS ABSOLUTE est id omne, cujus oppositum est possibile absolutè.

XXII. ENS ABSOLUTE CONTINGENS est Ens illud, cujus non-existentia æquè est possibilis absolutè, ac ejus existentia, *per def. 21.*

36. XXIII. VERITAS ABSOLUTE CONTINGENS (POSITIVA, FACTI) est propositio, cujus contradictoria est possibilis absolutè, diciturque hinc saltem INCONVENIENS, *per def. 21.*

G. G. Leibnitius. Scholion. Conferatur ipse PHILOSOPHUS in *Diss. de Confor. Rat. & Fidei §. II. p. 3.* & in *ipsâ THEODICÆA §. XLIV.*

XXIV. NECESSARIUM ABSOLUTE est id omne, cujus oppositum est impossibile absolutè.

45. XXV. ENS ABSOLUTE NECESSARIUM est illud Ens, cujus non-existentia est impossibilis absolutè, *per def. 24.*

Scholion. Hinc PHILOSOPHUS §. XLV. vocat *Ens absolutè necessarium* illud Ens, quod existit, si existere potest.

45. XXVI. VERITAS ABSOLUTE NECESSARIA est propositio, cujus contradictoria est impossibilis absolute, *per def. 24,* diciturque hinc ABSURDUM.

Scholion. Conf. etiam *THEODICÆA* §. XXXVII.

35. XXVII. VERITAS ABSOLUTE NECESSARIA PRIMITIVA est veritas absolutè necessaria, cujus vel definitionem ulteriorem ob simplicitatem, vel probationem ulteriorem ob intimam subjecti cum prædicato connexionem dare non licet: illa dicitur IDEA SIMPLEX; hæc ENUNCIATIO IDENTICA.

Scho-

Scholion. Tales sunt omnes illæ definitiones, quarum possibilitas manifesta est, in quibus nulla est connexio, sed quæ connecti debent. LEIBNITIUS in Epistola Hanoverâ XXXI. Maji cIↄIↄccVIII. ad me datâ. *G. G. Leibnitius.*

XXVIII. VERITAS ABSOLUTE NECESSARIA DERIVATIVA, est veritas absolutè necessaria, quæ ad veritates absolutè necessarias primitivas reduci potest. *Principia Philosophiæ §. 33.*

XXIX. ENS INDEPENDENS est illud Ens, cujus essentia nihil in se habet, quod rationem suam agnoscat in alio Ente.

Cor. *Ens independens* existere potest, nullo alio Ente, præter ipsum, existente.

XXX. ENS DEPENDENS est illud Ens, cujus essentia continet illa, quæ rationem suam agnoscunt in alio Ente, extra ipsum existente.

XXXI. IDENTITAS est modus Entium, quatenus unum substitui potest alteri, ut omnia, factâ substitutione, maneant, sicut fuerant ante substitutionem.

Scholion. Ponatur pondus A idem cum pondere B: quod si igitur pondus B ipsi ponderi A in librâ substituatur, factâ substitutione, in Librâ omnia manebunt, sicut fuerant ante factam substitutionem. Est hoc exemplum Celeb. CHRISTIANI WOLFII *in Metaph.* §. XVII. Sed cum pondera substitui sibi invicem non possint, nisi ponantur esse duo, unum A existit extra alterum B, consequenter apparet EADEM non posse existere alterum extra alterum. Videatur LEIBNITIUS Epistol. V. ad SAM. CLARKIUM §. XXVI. *Tom. I. du Recueil. p. 94.* *Christian. Wolfius.* *G. G. Leibnitius.*

XXXII. PROPOSITIO IDENTICA est enunciatio, in quâ prædicatum substitui potest subjecto, & subjectum prædicato, manentibus omnibus post substitutionem, sicut fuerant ante substitutionem, *per def. 31.* diciturque QUA SENSUM ET SONUM TALIS, si subjectum & prædicatum constent iisdem litteris, syllabis, & vocibus, eodem sensu acceptis, QUA SENSUM TANTUM TALIS, si subje-

ctum

ctum & prædicatum enunciationis non simul consten t iisdem litteris, syllabis & vocibus.

Scholion. Ita hæc Propositio : *Quicquid caret partibus, illud caret partibus ;* est *identica quà sensum & quà sonum simul:* & hæc propositio : *Omne simplex caret partibus ; est propositio identica quà sensum tantum.*

XXXIII. PROPOSITIO IN PRINCIPIO CONTRADICTIONIS FUNDATA est enunciatio quà sensum identica, *per def. 17. & 32.*

XXXIV. PRINCIPIUM IDENTITATIS est propositio, quà sensum & quà sonum identica, quatenus in illâ ratio sufficiens continetur, cur idem de eodem vel affirmare vel negare in potestate nostrâ sit positum, *per def. 16 & 32.*

XXXV. DIVERSITAS est modus Entium, quatenus unum non potest substitui alteri, omnibus manentibus post substitutionem, sicut fuerant ante substitutionem.

Coroll. Diversa existere non possunt, nisi alterum ponatur existere extrà alterum.

XXXVI. Si plura diversa, numerum determinatum agnoscentia, concurrant in uno Ente constituendo, Ens illud est TOTUM ; & plura diversa, ad Ens illud constituendum concurrentia, sunt PARTES illius.

Coroll. *Essentia Totius* consistit in concursu diversorum, numero finitorum, ad Unum ens constituendum, *per def. 12, & 36.*

XXXVII. MAGNITUDO in genere non est, nisi multitudo partium.

G. G. Leibnitius. Objectum Arithmeticæ.

Scholion I. Vulgò *Multitudo* dicitur *Magnitudo discreta:* nos eam vocamus *Magnitudinem* in genere, quæ secundum LEIBNITIUM est objectum Arithmeticæ, in Epistolâ Berolino VI. FEB. CIↃIↃCCVII. ad me datâ.

Partes discretæ.

Scholion II. Veteres *partes discretas* vocabant, quæ non θέσιν, *sed* τάξιν *agnoscunt*, h. e. quæ solâ serie, quâ se invicem consequuntur, distinguuntur, ut unâ earum assumtâ, pro primâ, alia fiat secun-

ſecunda & alia tertia, &c. Hinc *Numerum* dicebant, *multitudinem, ſerie conſequentiæ diſtinctam*, adeoque compoſitum de Collectione unitatum; græcè ita *numerum* definiunt: ἀριθμός ἐστι τὸ ἐκ μονάδων συγκείμενον πλῆθος & brevius: ἀριθμὸς μονάδων σύνθεσις, apud JOACHIMUM CAMERARIUM *de græcis latinisque Numerorum notis*. Numerus *Joachim. Camerarius.*

XXXVIII. MAGNITUDO DETERMINATA eſt multitudo partium, quatenus per certum numerum aſſignari poteſt.

XXXIX. MENSURABILE eſt, quod determinatam agnoſcit magnitudinem.

XL. MENSURARE eſt inter plura ejusdem ſpeciei, Unum pro unitate, quæ MENSURA dicitur, aſſumere, & quoties in reliquis continetur, inquirere.

XLI. QUANTITAS eſt id, quod in menſurandâ magnitudine pro Unitate aſſumitur.

Coroll. LEIBNITIUS hinc rectè dicere ſolebat, *Quantitatem omnem eſſe* ἄῤῥητον *quid, quod quidem exhiberi, ſed nullo modo explicari poſſit.*

XLII. QUALITAS eſt omnis determinatio intrinſeca Entis, quâ illud diſtingui poteſt ab omni alio, quod non eſt Ens illud. *Principia Philoſophiæ §. 9.*

Coroll. Qualitates entium verbis alteri explicare poſſumus.

XLIII. DISSIMILIA ſunt, in quibus qualitates ſe non eodem modo habent.

XLIV. SIMILIA ſunt, in quibus omnes qualitates ſeſe eodem modo habent.

Coroll. I. Similium interna differentia ſola eſt quantitas.

Coroll. II. Hinc rectè LEIBNITIUS in Epiſtola Hanoverâ III. Januar. cIↃIↃCCX. ad me datâ: Similia diſtinguuntur per „compræſentiam, vel per applicationem menſuræ tertiæ ad „utrumque ſimilium, quæ ſæpè fit inſolâ mente. (durchs „Augen-Maaß.) *G. G. Leibnitius.*

XLV. SIMILITUDO eſt identitas qualitatum.

Scholion: *Objectum Geometriæ* non ſola Magnitudo, ſed & ſimilitudo Objectum Geometriæ.

G. G. Leibnitius. eſt : ex gr. Magnitudinem trianguli determinamus per numerum menſurarum quadratarum, ſimilitudinem per ſitum. LEIBNITIUS in Epiſtolâ XXX. Martii cIↃ IↃ ccXII. Hanoverâ ad me datâ.

XLVI. PRINCIPIUM IDENTITATIS INDISCERNIBILIUM eſt id, in quo ratio ſufficiens invenitur, cur non exiſtant duo Entia per omnia ſimilia, *per def. 16. & 31.*

Coroll. I. Exiſtentia eorundem extrà ſe invicem, in nullo rationem ſufficientem invenit, *per def. 31. & 15.*

Coroll. II. Duo Entia non poſſunt eſſe eadem, *per def. 46.*

Coroll. III In propoſitione hâc : *Si duo Entia ſunt eadem, ſunt duo,* hypotheſis eſt impoſſibilis, *per coroll. 2.* Videatur ipſe PHILOSOPHUS Epiſtol. V. ad CLARK. §. XXVI. *Tom. I. du Recueil. p. 94. 95.*

XLVII. COMPOSITIO (STRUCTURA) eſt determinatio combinationis partium diverſarum, ad unum tertium conſtituendum concurrentium.

Principia Philoſophiæ. §. 9. XLVIII. COMPOSITIUM ABSOLUTE (ENS COMPOSITUM) eſt id, quod ex compoſitione reſultat.

Coroll. Omne Totum eſt compoſitum, non contrà, *per def. 36.*

XLIX. ESSENTIA COMPOSITI eſt ipſa compoſitio, *per def. 12. & 47.*

Scholion : ex gr. *Eſſentia arboris, quatenus eſt compoſitum*, eſt ipſa compoſitio ejusdem ex radice, trunco & ramis.

Coroll. Eſſentiam compoſiti non ingrediuntur partes partium, niſi quatenus ab illarum determinata combinatione pendet poſſibilitas ipſius compoſiti, *per cor. def. 12. 47. 48.*

L. CONTINUITAS eſt compoſitio, quæ nullarum partium inter partes, ad unum tertium conſtituendum concurrentes, exiſtentiam intermediam admittit.

Scholion I. Ideam *continuitatis* ingrediuntur diverſitas & compoſitio plurium, quæ nullam aliorum admittunt exiſtentiam inter ſe intermediam.

Scholion II. *Continuitas* involvit Plenitudinem, & opponitur Vacuo.

Scho-

Scholion III. Veteres *Partes continuas* vocant, si adsit aliquod commune, quod connexionis continuationem determinet. NICOMACHUS Lib. I. Arithmeticæ apud CAMERARIUM *loc. cit.* Rerum aliæ sunt conjunctæ, atque consertæ & concretæ, " ut unum quiddam sint, ex. gr. animans, stirps, mundus ipse, quo- " rum omnium proprium est, ut *Magna* appellentur: aliæ sunt di- " scretæ & applicatæ quasique coacervatæ, quæ vocantur *Multa*, ut " grex, populus, cœtus, acervus. Determinata hæc sub Scientiam " cadunt. Sunt autem *Magna* & *multa* per se & simpliciter *infinita:* " illa diminutione, hæc incremento. Quapropter multa definien- " da sunt *copiâ*, id est, eo, quod πόσον, id est *quantum* dicimus: & ma- " gna definienda sunt *mole*, id est, eo, quod πηλίκον sive *quàm gran-* " *de* vocamus. Parens scientiarum est *Arithmetica*, quâ sublata evane- " scunt & cæteræ: sed non contrà; sublatis cæteris, & jam hæc ipsa " evanescit. Ex. gr. si non sint tria aut quatuor, non poterit esse " triquetra s. triangula aut quadrata figura: sed figuris his sublatis, " nihilo tamen minus tria ac quatuor remanent. Quod *quantum* " dicimus, *Arithmetica* considerat per se & solum, ut par, impar, " quadratum; *Musica* relatum ad aliud, ut duplex, dimidium, ma- " jus, minus, sesqui, tertiâ parte amplius. Quod *quàm grande* sit quærimus, in eo spectatur vel status, & habet scientiam, cujus " nomen est *Geometria*, vel motio, & habet scientiam, quæ vocatur " *Sphærice*. Atque patet, sine his *Sapientiam* non posse constitui, " atque studium hujus, hoc est, *Philosophiam*." Hactenus NICO-MACHUS. Placet summopere Modestia veterum, Philosophiam sollicitè ab ipsâ Sapientiâ distinguentium, cujus nulla creatura per finitudinem essentiæ suæ capax est. Hinc *Apostolus Rom.* XVI. 27. DEUM vocat μόνον σοφὸν. Creaturæ autem rationales, quatenus parvæ quædam in suo genere quasi sunt divinitates, sapientiam pro modulo essentiæ suæ per philosophiam repræsentant. Conf. Diatriba nostra *de Enthusiasmo Platonico, curis secundis edenda,* Sect. VII. §. XXXV.

Partes continuæ. *Nicomachus.* *Joach. Camerarius.* Magna. Multa. Infinita. Quantum. Moles. Arithmetica Scientiarum parens. Musica. Geometria. Sphærice. Sapientia. Philosophia.

LI. PARTES PERFECTE SIMILES, SIMILITER INTER SE COMPOSITÆ sunt, quæ non admittunt partes dissimiles intermedias, alio modo compositas, *per def.* 43. 44.

LII. CONTINUUM EJUSDEM SPECIEI (MA-

GNITUDO CONTINUA, (GEOMETRICA)) eſt multitudo partium, perfectè ſimilium, ſimiliter in uno ita compoſitarum, ut nullarum partium admittant exiſtentiam intermediam, *per def. 37. 50. & 51.*

Scholion. Ideam *Magnitudinis Geometricæ* ingrediuntur Continuitas & ſimilitudo perfecta compoſitionis & partium compoſitarum.

LIII. SIMILITUDO RELATIONIS eſt id, quod plura, ad ſe invicem relata, commune inter ſe habent, *per def. 45.*

LIV. LEX (REGULA) eſt formula generalis, quæ ſimilitudinem relationis exprimit.

LV. ORDO eſt ſimilitudo relationis diverſorum, quæ, in connexione mutuâ ſpectata, non involvunt contradictionem, quatenus ex lege quâdam facilè cognoſcibilis eſt.

LVI. ORDO COEXISTENTIARUM eſt ſimilitudo relationis diverſorum coëxiſtentium, ex ſimultaneâ unius extrà alterum exiſtentiâ & peculiari unius à reliquis omnibus diſtantiâ, vi cujus uno aſſumto pro primo, aliud fit ſecundum, aliud tertium &c. facilè cognoſcibilis.

LVII. SPATIUM non eſt niſi ordo coëxiſtentiarum continuarum poſſibilium.

Scholion. Ideam *Spatii* ingrediuntur ideæ diverſitatis, continuitatis & coëxiſtentiæ, ſed quatenus ſunt poſſibilia.

LVIII. INFINITUM MATHEMATICUM eſt modus loquendi, quo, multitudini alicujus nullum numerum æqualem aſſignari poſſe, innuimus.

G. Leibnitius.

Scholion. Videatur LEIBNITIUS in Actis Eruditorum Lipſienſibus Anni cIↄ IↄccXII. *p. 168.*

LIX. SPATIUM INFINITUM eſt ordo partium continuò coëxiſtentium poſſibilium, quarum multitudini nullus numerus æqualis aſſignari poteſt, *per def. 57. & 58.*

LX. SITUS (actualis ſcil.) non eſt, niſi ordo coëxiſtentiarum non continuarum.

Scholion.

Scholion. Ideam *Sitûs actualis* ingrediuntur diverſitas coëxiſtendi & ipſa coëxiſtentiâ; ſed præcisâ continuitate coëxiſtendi.

LXI. LOCUS non eſt, niſi ordo coëxiſtentiarum continuarum.

Scholion I. Hanc *Loci* ideam in nobis invenimus, attendentes ad exiſtentiam noſtri ipſius & aliarum rerum extrà nos & extrà ſe invicem, & inquirentes in modum coëxiſtendi, quem omnia coëxiſtentia, ad ſe invicem relata, inter ſe communem habent. Videatur etiam LEIBNITIUS Epiſt. V. ad CLARK. §. XLVII. *p. 105.* *G. G. Leibnitius.*

Scholion II. *Ideam Loci* ingrediuntur diverſitas, coëxiſtentia & continuitas. LEIBNITIUS loc. cit. Tom. I. *p. 138.*

Coroll. I. Locus eſt ſituum collectio. LEIBN. *loc. cit. p. 107.*

Coroll. II. Eſſentia Loci differt ab eſſentia compoſiti, quod dicitur eſſe in loco, ut determinatio coëxiſtentiæ ab ipſo coëxiſtente, *per def. 12, 48, 61*, adeoque ut Modus Entis ab ipſo Ente, *per def. 11.*

Coroll. III. Locus eſt ſpatium actuale *per def. 57.* & Spatium eſt locus poſſibilis, *per def. 61.* Vid. LEIBNITIUS Epiſtol. V. ad SAM. CLARK. §. CIV, CV, *Tom. I. du Recueil. p. 138. ſeq.* *G. G. Leibnitius.*

Coroll. IV. Compoſitorum unum occupat locum alterius, quatenus eodem modo coëxiſtit cum exiſtentibus fixis, quo alterum coëxiſtebat anteà cum ipſis: eodem autem modo coëxiſtit cum aliis exiſtentibus fixis, quo alterum coëxiſtebat cum iisdem; ſi per elongationem ab illis fiat, ex. gr. primum, quod alterum illud erat ante elongationem, *per def. 56.* Vid. LEIBNITIUS loc. cit. §. XLVII. *p. 106. ſeq.*

Coroll. V. Locus à loco ſolo numero differt.

LXII. PERDURANS eſt ſubjectum determinationum omnium, quod ad hanc vel illam ſuam determinationem ſpecialem ſe indifferenter habet & unam poſt alteram conſequitur.

LXIII. VARIATIO PERDURANTIS eſt ſubſtitutio diverſarum determinationum unius ejusdemque ſubjecti abſoluti, ita ut, poſteriore exiſtente, non exiſtat amplius prior. *Principia Philoſophia §. 13.*

Principia Philoſophia. §. 50. 51. 52. LXIV. MUTATIO entis in genere non eſt niſi variatio perdurantis: quæ dicitur ACTIO, reſpectu Entis, in quo cognoſcitur principium illius: & quidem INTERNA, ſi ipſa ſimul variatio ſit in eodem ente, EXTERNA, ſi ſit in alio ente: PASSIO reſpectu Entis, extrà quod principium variationis cognoſcitur: utraque IDEALIS vocatur, quatenus ratio ejus quod in uno cognoſcitur, continetur in altero, & neutrum exiſtere poteſt ſine Ideâ opificis, in qua ſingula omnibus adaptata ſunt.

LXV. SCHEMA MUTATIONIS eſt exemplar, quod variatio perdurantis immediatè reſpicit.

LXVI. ORDO MUTATIONUM eſt ſimilitudo relationis diverſorum incompatibilium, ſive ſuccedentium, ex exiſtentiâ unius extrà alterum continuâ, ſed non ſimultaneâ, & peculiari unius ab alio diſtantiâ, vi cujus, uno aſſumto pro primo, aliud fit ſecundum, aliud tertium, &c. facilè cognoſcibilis.

LXVII. TEMPUS (actuale ſcil.) non eſt niſi ordo mutationum continuarum.

Scholion I. Hanc *Temporis* Ideam in nobis invenimus, attendentes ad mutationes animæ noſtræ, quarum nobis conſcii ſumus, & quas non omnes ſimul habemus, ſed unam poſt alteram conſequimur.

Scholion II. Ideam *Temporis* ingrediuntur diverſitas, incompatibilitas coëxiſtendi ſive ſucceſſio, & ſucceſſionis continuitas. Videat. LEIBNITIUS loc. cit. *p. 138.* *G. G Leibnitius.*

Coroll. I. Tempus ex principio contradictionis intelligi & explicari debet, *per def 1. & 17.* LEIBNITIUS in Epiſtolâ, Hanoverâ XXXI. Octobr. cIↃ IↃCCVIII. ad me datâ. *G. G Leibnitius.*

Coroll. II. Locus & Tempus ad continuò coëxiſtentia & ſuccedentia ſe indifferenter habent, ut numerus abſtractus ad rem numeratam, LEIBNITIUS *Tom. II. du Rec. p. 418.*

Coroll. III. Magnitudo loci & temporis pendet à multitudine coëxiſtentium & ſuccedentium, *per def. 37.*

LXVIII. TEMPUS INFINITUM eſt ordo partium, ſibi invicem continuò ſuccedentium, quarum ſucceſſioni initium

initium & finis aſſignari non poteſt per ullum numerum finitum, quantumlibet magnum, *per def. 58.*

Scholion. Differt tempus infinitum ab *Æternitate*, quæ eſt proprietas Entis à ſe, quatenus abſolutè eſt impoſſibile, ut exiſtentia ejus initium & finem agnoſcat.

LXIX. CHAOS dicitur, ſi plurium diverſorum coëxiſtentia & ſucceſſio non poſſint ex certâ lege facilè cognoſci.

Coroll. In Chao nullus datur ordo, *per def. 56. & 66.* *Principia Philoſophiæ*

LXX. ENS INFINITUM eſt Ens, cujus eſſentia nullorum limitum capax eſt. *§. 40.*

Scholion. Ex incapacitate limitum in Ente infinito fluit, quod Ens tale omne illud ſit, quod eſſe poteſt, ſimul; quam ideam acutiſſimus Philoſophus CHR. WOLFIUS in Metaph. §. CIX. & in Annot. Met. *p. 65.* Enti infinito aſſignat. *Chr. Wolfius.*

LXXI. ENS FINITUM eſt Ens cujus eſſentia limitum capax eſt. *42.*

Scholion. Atque ex hâc capacitate limitum eſſentiæ fluit demum, quod Ens tale non ſimul ſit id omne, quod eſſe poteſt, & proinde ſucceſſio rationem ſufficientem agnoſcit in limitibus entis, in quo datur ſucceſſio, & infinitudo eſſentiæ omnem excludit ſucceſſionem.

LXXII. ENS MUTABILE eſt Ens, cujus eſſentia determinationum aliarum atque aliarum ſucceſſivè capax eſt, *per def. 63.*

LXXIII. ENS IMMUTABILE eſt Ens, cujus eſſentia nullarum determinationum ſucceſſivè capax eſt, *per def. 64.*

LXXIV. SUBSTANTIA eſt Ens, quod principium mutationum in ſe continet.

Scholion. In definitione *Subſtantiæ* abſtrahendum eſt à modo, quo Ens principium mutationum contineat; an *eminenter*, an *formaliter*, omniumne *ſimpliciter* an *limitatè* illarum tantùm, quæ ad eſſentiam illius reſtrictæ ſunt. Ens autem illud *continet eminenter principium mutationum omnium*, quod per realitatem ſuam abſolutam & univerſalem ſupplere poteſt limitationes principii cujuscunque mutationum, illud producendo extrà ſe: & Ens illud *continet formaliter*

princi-

principium mutationum suarum, quod illud secundum essentiam suam continet, ut ab illo intrinsecè possit denominari.

Principia Philosophiæ. §. 44. LXXV. SUBSTANTIA NECESSARIA est Substantia, cujus essentia includit existentiam, *per def. 25.*

38. LXXVI. SUBSTANTIA UNIVERSALIS est substantia, quæ omnes realitates omnium reliquarum substantiarum universaliter & absolutè continet.

40. LXXVII. SUBSTANTIA SUPREMA est substantia, ante quam nulla alia existit substantia.

LXXVIII. SUBSTANTIA INFINITA est substantia, cujus essentia in nullâ realitate limitum capax est, *per def. 70.*

LXXIX. SUBSTANTIA FINITA est substantia, cujus essentia in omnibus suis realitatibus limitum capax est, *per def. 71.*

LXXX. SUBSTANTIA COMPLETA est substantia, quæ vim agendi simplicem & vim patiendi sive resistentiam simplicem in se habet.

3. LXXXI. ACCIDENS est modus substantiæ finitæ.

Coroll. Accidens non potest egredi è substantiâ *per def. 11.*

LXXXII. CONATUS est nisus sive tendentia continua ad producendam mutationem.

LXXXIII. VIS in genere non est nisi conatus Entis.

LXXXIV. FACULTAS est possibilitas conatûs.

Coroll. I. Vis est medium quid inter facultatem & inter ipsam actionem, *per def. 84. & def. 64.*

Coroll. II. Vis est perdurans quid, *per def. 62.*

Coroll. III. Vis est principium mutationum, *per def. 16. & 82.*

Coroll. IV. Tot facultates sunt specie diversæ, quot mutationes, specie diversæ, sunt possibiles.

1. LXXXV. ENS SIMPLEX est Ens, quod partibus caret.

8. LXXXVI. MONAS non est nisi Ens simplex.

48. LXXXVII. MONAS ORIGINARIA (PRIMITIVA, INCREATA) est Ens simplex, quod existere potest, nullis

nullis aliis entibus ſimplicibus exiſtentibus, *per cor. def. 29.*

Scholion. Atque hanc intelligit PLATO per τὸ ἝΝ, de cujus perfectionibus præclarè diſſerit in PARMENIDE. Videatur Diatriba mea de Enthuſiaſmo Platonico. *Sect. VII. §. XL.* *Plato. Principia Philoſophiæ. §. 48.*

LXXXVIII. MONAS DERIVATIVA. (CREATA) eſt Ens ſimplex, quod, non exiſtente Monade origanariâ, exiſtere non poteſt.

Coroll. Omnis Monas derivativa eſt Ens ab alio ſive Ens creatum, *per def. 20.*

LXXXIX. PERDURANS MONADIS DERIVATIVÆ eſt individuum illud & abſolutum ſubjectum omnium determinationum intrinſecarum monadis derivativæ, quod ad nullam earum reſtrictum eſt, & omnes, quarum Monas per eſſentiam ſuam capax eſt, ſucceſſivè conſequitur, *per def. 62.*

XC. GRADUS eſt quælibet determinatio intrinſeca perdurantis Monadis creatæ. *44, 45.*

XCI. VARIATIO PERDURANTIS MONADIS CREATÆ eſt ſubſtitutio diverſorum graduum, ita ut gradu poſteriore ſuccedente, tranſeat prior, *per def. 63.*

XCII. MUTATIO MONADIS CREATÆ eſt variatio perdurantis ejusdem, *per def. 64.*

Scholion. In omni mutatione Monadis derivativæ, datur *perdurans aliquod*, quod eſt ſubjectum individuum omnium graduum, ad eosdem ſe indifferenter habens, & *aliquid tranſiens*, quod eſt gradus, qui variatur, conſequenter omnis mutatio Monadis derivativæ involvit multitudinem: quatenus gradus ſequens rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in gradu præcedenti, à ſequentibus diverſo, adeoque in gradu quolibet præſenti, *præter diverſitatem à reliquis* includitur aliqua ad præcedentes & conſequentes *ſcheſis*, conſequenter multitudo ſimultanea in ſubjecto individuo; eaque non interna, ſed externa; non realis ipſius ſubjecti; ſed repræſentativa tantum objecti ſive termini, ad quem repræſentatio extrà monadem refertur, in ipſâ monade.

Principia Philoſophiæ §. 54. coll. 51. XCIII. ACTIO MONADIS UNIUS IN ALTERAM eſt mutatio, in unâ monade exiſtens, quatenus ejusdem ratio diſtinctè cognoſcitur in aliâ Monade, *per def. 64.*

XCIV. PASSIO MONADIS CREATÆ, eſt mutatio ejusdem, cujus principium diſtinctè cognoſcitur, extra ipſam, *per def. 64.*

XCV. CONATUS MONADIS DERIVATIVÆ eſt tendentia ejusdem continua ad producendas omnes mutationes in ſe ipsâ, quâ facultates ejus diverſæ, quarum per eſſentiam ſuam capax eſt, in actum deducuntur à Monade, ſe ipſam ad earum hanc vel illam determinante, *per def. 82. & def. 92.*

XCVI. VIS MONADIS DERIVATIVÆ, non eſt niſi conatus ejusdem, *per def. 83.*

Coroll. I. Vis Monadis derivativæ eſt principium internum omnium mutationum, *per def. 16. & 95.* quatenus determinatio ejusdem non in causâ efficiente externa tendente, ſed in ipſâ monadis eſſentiâ rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem invenit.

Coroll. II. Vis Monadis derivativæ eſt perdurans, *per def. 89.*

XCVII. FACULTAS PERCEPTIVA MONADIS DERIVATIVÆ in genere eſt facultas repræſentandi multitudinem externam in ſubjecto ſimplici, ita ut repræſentatio rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcat in ſolâ eſſentiâ ſubjecti repræſentantis.

Coroll. Facultates perceptivæ ſpecie diverſæ eſſe poſſunt in uno eodemque ſubjecto ſimplici, *per cor 4. def. 84.*

XCVIII. APPETITUS in genere eſt conatus ad producendam novam repræſentationem, qui rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in repræſentatione præcedenti.

15. Coroll. I. Appetitus eſt tendentia continua monadis derivativæ ad producendas mutationes in ſe ipsâ, *per def. 95.*

50. Coroll. II. Appetitus ad ſui conſummationem tempus requirit, *per def. 82.*

Coroll.

Coroll. III. *Facultas appetitiva* eſt poſſibilitas appetitûs, *per def. 84.*

XCIX. PERCEPTIO MONADIS DERIVATIVÆ eſt ipſa repræſentatio in ſubjecto individuo multitudinis, extra illud poſitæ. *Principia Philoſophiæ §. 21. coll. 14.*

Coroll. Perceptio eſt mutatio monadis derivativæ, *per def. 92.*

Scholion I. PHILOSOPHUS omnem mutationem monadis creatæ vocat *Perceptionem:* quia intellectus infinitus in mutationibus ſingulis monadum creatarum, per reſpectûs, quos habent ad multitudinem, extrà monadem poſitam, intuetur ipſam multitudinem externam. *16. coll. 13*

Scholion II. Atque hanc *Perceptionis* ideam in nobis invenimus, attendentes ad ea, quæ ex. gr. uno oculi ictu nobis repræſentamus, & ad minimam quamlibet cogitationem, cujus nobis conſcii ſumus, quæ involvit varietatem aliquam in objecto, adeoque multitudinem quandam, repræſentatam in Monade.

C. SCHEMA REPRÆSENTATIONIS eſt pars multitudinis, quam gradus quilibet ſubjecti individui immediatè repræſentat, & ſecundùm quam ſubjectum individuum totam repræſentat multitudinem. *12.*

CI. CLARITAS REPRÆSENTATIONIS eſt diſtinctio totius repræſentationis à quâcunque aliâ, conjuncta cum conſcientiâ diſtinctionis.

CII. OBSCURITAS REPRÆSENTATIONIS eſt abſentia claritatis quà ipſam repræſentationem.

CIII. DISTINCTIO REPRÆSENTATIONIS eſt claritas repræſentationis notarum, repræſentationem aliquam ingredientium.

CIV. CONFUSIO REPRÆSENTATIONIS eſt abſentia claritatis, quà notas, repræſentationem ingredientes.

CV. ADÆQUATA REPRÆSENTATIO eſt quæ in gradu diſtinctionis pervenit usque ad prima & irreſolubilia, repræſentationem ingredientia.

CVI. LEX APPETITUUM eſt formula generalis, quæ exprimit id, quod ſucceſſiones perceptionum inter ſe com-

ne habent, vi cujus præcedens perceptio ſe habet ad ſequentem, ut finis ad medium, *per def. 54. & def. 98. 99.*

Coroll. Tot ſunt Leges appetituum, ſpecie diverſæ, quot ſunt perceptiones ſpecie diverſæ.

Scholion I. ex gr. Volitio oritur ex præcedente perceptione diſtinctâ boni; ita tamen ut facultas interna ſe ipſum determinandi, hâc poſitâ occaſione, ad hanc, non aliam determinationem ſaltem excitetur, non cogatur, & ſemper determinatio oppoſita maneat poſſibilis, ſecundùm *Legem Appetitûs rationalis,* quæ involvit conſcientiam motivorum determinationis & poſſibilitatem ſeſe determinandi in oppoſitam partem, etiam jam factâ determinatione ex bonitate prævisâ inclinante, non neceſſitante: adeoque ſpecie diverſa eſt à *Lege Appetitûs ſenſitivi,* quæ non involvit conſcientiam rationis determinationis, ſed ſolam ſpontaneitatem, vi cujus ſalvâ eſſentiâ Monadis, determinatio in partem oppoſitam, in ſe eſt poſſibilis.

Scholion II. Lex appetituum generaliter procedit inclinando monadem ad perceptionem mediorum producendam, per productionem perceptionis finis; adeoque fundatur in collatione cauſarum finalium cum appetitibus. Quæ collatio in Monadibus nudis nullam involvit conſcientiam, in animabus ſenſitivis conſcientiam, in rationalibus etiam reflexionem.

CVII. SPONTANEITAS eſt facultas, ſe ipſum determinandi ex principio interno.

Coroll. Spontaneitas involvit contingentiam abſolutam, *per def. 21.*

Scholion. Videatur ipſe PHILOSOPHUS in Theodicæa *Part. III. §. CCXC. p. 478. & §. CCCI. p. 491.*

CVIII. Si in totâ repræſentatione reſpectu ſubjecti repræſentantis nihil ſit clari, dicitur PERCEPTIO NUDA vel SIMPLEX.

Principia Philoſophiæ. §. 19.

Coroll. Perceptio nuda excludit conſcientiam, *per def. 101.*

CIX. APPETITUS NUDUS eſt conatus ad novam perceptionem nudam, *per def. 98. & 108.*

18, 19, 24. CX. MONAS NUDA eſt monas derivativa perceptione nuda & appetitu nudo prædita.

50. Scholion. Dicitur etiam *Entelechia* ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὸ ἐντελές.

Unde

Unde HERMOLAUS BARBARUS eam latinè per *perfectihabeam* interpretatur. Videantur, quæ de inventore hujus vocis habet BAELIUS in Dictionario art. Barbarus Hermol. *p. 473. col. 1.* Hermolaus Barbarus. *P. Bayle.*

CXI. Si in repræsentatione multitudinis externæ in subjecto simplici, respectu ipsius subjecti repræsentantis, aliquid sit clari, cujus id sibi conscium est, se id ab aliis distinguere, dicitur APPERCEPTIO (CONSCIENTIA) *Principia Philosophiæ §. 14, 19.*

Coroll. I. Apperceptio includit claritatem repræsentationis, *per def. 101.*

Coroll. II. Omnis Perceptio distincta, est apperceptio, *per def. 103.*

CXII. APPETITUS APPERCEPTIVUS est conatus ad novam apperceptionem, *per def. 98. & 111.*

CXIII. ANIMA in genere est Monas derivativa apperceptione & appetitu apperceptivo prædita. *19.*

CXIV. SENSUS EXTERNUS est facultas Animæ sibi clarè repræsentandi multitudinem externam præsentem in subjecto simplici; quatenus illa in partibus alicujus compositi *dissimilaribus* mutationes præ aliis extantiores producit.

Scholion. Ex. gr. Mutationes luminis in oculo, soni in aure, effluviorum in naribus, corporum in lingua & palato, vel in fibris nerveis subcutaneis totius corporis per contactum factas.

CXV. SENSATIO est ipsa repræsentatio clara in subjecto individuo mutationum, à multitudine externâ præsente in subjecto aliquo composito productarum.

Coroll. I. Sensatio est apperceptio, *per def. 101 & cor. 2. def. 111.*

Coroll. II. Sensatio quà id, quod continet rationem sufficientem existentiæ suæ agnoscit in schemate ejus ad externam multitudinem præsentem.

Coroll. III. Sensatio non est in potestate animæ sentientis.

Scholion. Ex. gr. non est in potestate animæ nostræ, ut objectum nigrum videat album, &c.

CXVI. IMAGINATIO (PHANTASIA) est facultas animæ sibi clarè repræsentandi in subjecto simplici mutationes à

nes à compositis externis, nunc absentibus, olim in subjecto aliquo composito productas, ex occasione præsentium, cum quibus semel fuerunt conjunctæ.

Coroll. I. Imaginatio debilior est sensu externo, *per def. 114.*

Coroll. II. Imaginatio supponit sensum externum, *per def. 115.*

CXVII. PHANTASMA est ipsa repræsentatio clara in subjecto simplici mutationum, à multitudine externâ præsente in subjecto aliquo composito olim productarum.

Coroll. I. Phantasma est apperceptio, *per def. 101. & cor. 2. def. 111.*

Coroll. II Phantasma est debilius sensatione; eandemque præsupponit.

Scholion. Ita phantasmata noctu fortiora sunt, quam interdiu, quia anima se tum ad sensûs externos non determinat.

Coroll. III. Sensationes & phantasmata sunt animæ mutationes, *per def. 99. & 92.*

CXVIII. MEMORIA est facultas animæ agnoscendi reproductionem sensationum & phantasmatum, semel productorum.

Coroll. Impotentia imaginationis est principium impotentiæ memoriæ.

Principia Philosophiæ §. 26.

CXIX. APPETITUS SENSITIVUS est conatus ad novam sensationem, qui rationem sufficientem existentiæ suæ agnoscit in sensatione aliâ præcedenti, *per def. 98. & 115.*

Coroll. I. Appetitus sensitivus est vis animæ, *per def. 83.*

Coroll. II. Appetitus sensitivus est principium sensationis. per *cor. 3. def. 84.*

CXX. AVERSATIO SENSITIVA est conatus ad impediendam productionem sensationis, qui rationem sufficientem existentiæ suæ agnoscit in sensatione aliquâ præcedenti.

Coroll. I. Aversatio sensitiva plus infert, quam nudam absentiam appetitûs sensitivi.

Coroll.

Coroll. II. Facultas ſenſitivæ appetitiva & averſativa ſunt principium internum appetitûs ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, *per cor. 2. def. 98. & def. 16.*

CXXI. CONSECUTIO PERCEPTIONUM eſt expectatio ſimilis perceptionis ei, quæ jungebatur perceptioni, jam ſemel ab animâ productæ. *Principia Philoſophiæ §. 26.*

Scholion. Dicitur etiam *Senſus internus*.

CXXII. ANIMA SENSITIVA eſt anima, quæ præter perceptionem nudam & appetitum nudum, ſenſu, & appetitu ſenſitivo atque averſatione ſenſitivâ, imaginatione item & memoriâ prædita eſt.

Scholion. Ideam hanc *Animæ ſenſitivæ* acquirimus per reflexionem ad requiſita cognitionis Univerſalis.

CXXIII. INTELLECTUS eſt facultas animæ, id, quod plures ſenſationes ſingulares & phantaſmata inter ſe commune agnoſcunt, ſive quæ in illis ſimilia ſunt, in ſubjecto individuo ſibi diſtinctè repræſentandi.

CXXIV. SIMILIA IN SENSATIONIBUS ſunt, quæ in ſenſationibus confuſa, & ab iisdem abſtracta, poſſibilia ſunt, & in quibus illæ cum phantaſmatis conveniunt.

Coroll. Quicquid in ſenſibus externis & imaginatione diſtinctum eſt ad *Intellectum* pertinet.

CXXV. COGITATIO (IDEA) eſt ipſa repræſentatio diſtincta in ſubjecto individuo eorum, quæ in ſenſationibus vel phantaſmatis pluribus ſingularibus ſimilia ſunt, per voces determinatæ ſignificationis facta.

Scholion. *COGITATIONEM* in his demonſtrationibus ab Apperceptione in genere diſtinguimus & pro *apperceptione univerſalium* accipimus: Monadibus nudis perceptionem nudam, Animabus in genere apperceptionem ſive conſcientiam; animabus ſenſitivis in ſpecie, ſenſationes & phantaſmata, animabus rationalibus in ſpecie *Cogitationem* aſſignantes: Ita pariter Philoſophi veteres per τὴν ἰδέαν intellexerunt abſtractum aliquid à ſenſationibus. Vid. Diatriba de Enthuſiaſmo Platonico, curis ſecundis edenda. *Sect. VII. §. 34. 45. 46.* *17.*

Coroll.

Principia Philoſophiæ §. 16, 17.

Coroll. I. Cogitatio in genere eſt mutatio animæ, *per def. 99. & 92.*

Coroll. II. Cogitatio in ſpecie eſt apperceptio poſſibilium, adeoque Cogitatio *Univerſalium*, *per cor. 2. def. 111. & 123.*

Coroll. III. Senſationes & phantaſmata fiunt cogitationes ſive Ideæ per abſtractionem eorum, quæ omnibus communia ſunt; & repræſentationem diſtinctam notarum illa ingredientium per voces determinatæ ſignificationis factam.

Scholion. Ex. gr. *Senſationes colorum ſingularium* ingrediuntur plura, quæ per voces determinatæ ſignificationis à ſe invicem diſtingui poſſunt, & hæc inter quædam omnibus coloribus communia ſunt, adeoque vocibus univerſalibus ſeorſim repræſentari poſſunt, ut ex Senſationibus colorum ſingularium fiat *Cogitatio coloris in genere.*

CXXVI. JUDICIUM eſt conjunctio aut ſeparatio duarum idearum diciturque INTUITIVUM, ſi intuitu ſubjecti, in quo prædicatum contineri obſervamus, formetur.

CXXVII. RATIO eſt facultas animæ ſibi diſtinctè repræſentandi in ſubjecto individuo connexionem trium judiciorum inter ſe.

CXXVIII. RATIOCINIUM eſt ipſa diſtincta repræſentatio trium judiciorum, quorum primum formatur intuitu ſubjecti, in quo prædicatum contineri obſervatur, ſecundum occaſione prioris, ex ſenſationibus reproductis, cum conſcientiâ reproductionis, & tertium ex duobus præcedentibus.

CXXIX. SCIENTIA eſt promtitudo unum poſſibile ex alio deducendi per ratiocinium.

CXXX. APPETITUS RATIONALIS (VOLUNTAS) eſt conatus ad producendam novam cogitationem, ex cogitatione aliâ præcedenti ortus.

G. G. Leibnitius.

Scholion. Videatur ipſe PHILOSOPHUS Part. I. Theodicææ §. XXII. *p. 133. & 134.* §. LI. *p. 163.* Part. III. §. CCCXI. *p. 500.* §. CCCXXV, CCCXXVI. *p. 515. ſeqq.*

CXXXI. AVERSATIO RATIONALIS (NOLUNTAS) eſt conatus impediendi productionem cogitationis, ex cogitatione præcedenti de eodem objecto ortus.

Coroll. I. Noluntas plus infert, quàm nudam voluntatis abſentiam,

tiam, quatenus præter absentiam cogitationis alicujus objecti, involvit præsentiam cogitationis de opposito ejusdem Objecti.

Coroll. II. Facultates Animæ appetitiva & aversativa rationalis sive volendi & nolendi, sunt principium internum voluntatis & noluntatis, *per def. 16. & cor. 2. def. 98.*

CXXXII. ANIMA RATIONALIS (SPIRITUS FINITUS) est anima, quæ præter perceptionem nudam, appetitum nudum, sensum externum, appetitum sensitivum & aversationem sensitivam, imaginationem & memoriam, prædita est intellectu & voluntate. *Principia Philosophiæ §. 29.*

Scholion. Ex pluralitate facultatum animæ rationalis specie diversarum, patet *possibilitas definitionis* Leibnitianæ 99.

CXXXIII. FACULTAS ATTENDENDI est facultas animæ rationalis obtinendi claritatem repræsentationis unius præ aliâ.

CXXXIV. FACULTAS ABSTRAHENDI est facultas animæ rationalis non attendendi partes unas in repræsentatione aliquâ præ aliis, ut non fiant tam claræ, quam illæ, quas sibi anima conatur repræsentare.

CXXXV. FACULTAS REFLECTENDI est facultas animæ rationalis comparandi partes repræsentationis plures quà convenientiam & differentiam. *30.*

Coroll. Facultas reflectendi includit facultatem abstrahendi & attendendi.

CXXXVI. REALITAS ABSOLUTA est possibile, præcisè sumtum, sive ab omni negatione abstractum. *41.*

Scholion. Ex. gr. Distinctio repræsentationis in quocunque intellectu finito possibili negationem gradûs summi distinctionis involvit. Quod si igitur distinctio abstrahitur ab illâ negatione, distinctio ipsa, tanquam intellectûs finiti qualitas, ab adhærente negatione abstracta, est *Realitas absoluta.*

Coroll. I. Gradus involvit realitatem cum limitatione, h. e. positivi & negativi quid simul, *per def. 90.*

Coroll. II. Quoniam multitudo realitatum absolutarum in nullo Ente creato est absolutè necessaria, h. e. in omni ente creato

 ejus-

ejusdem ſpeciei alii realitatum gradûs poſſibiles ſunt abſolutè: *Omne Ens creatum eſt contingens per def. 20. & 22.*

CXXXVII. CAUSA EFFICIENS eſt Ens, quod alteri enti realitatem abſolutam confert.

Principia Philoſophiæ §. 42, 93. 9, 68, 86. CXXXVIII. AUCTOR OMNIUM eſt cauſa efficiens omnis realitatis abſolutæ extra ſe.

Scholion: PHILOSOPHUS etiam vocat *Auctorem naturæ*; per *naturam* hoc loco rerum univerſitatem intelligendo, §. 9, 68, 86.

CXXXIX. CAUSA DEFICIENS eſt Ens, quatenus alteri realitatem vel nullam vel non ſufficientem vel non omnem confert.

CXL. PERFECTIO eſt magnitudo realitatis abſolutæ.

41. Scholion: Ubi adeſt magnitudo, h. e. multitudo realitatum abſolutarum *per def. 37.* ibi nulla locum habet negatio, conſequenter nullus diſſenſus, conſequenter *Perfectio Entis* involvit *conſenſum plurium in uno Ente.* Eſt autem *Conſenſus* relatio plurium conjunctorum inter ſe ad communem ſcopum, vi cujus omnia ad illum conſervandum vel obtinendum conducunt: *Scopus* eſt omne id, quod ex conſenſu plurium reſultat; *commune* id, ad quod præſtandum plura concurrunt: *criterium conſenſûs* eſt id, per quod intelligitur, ſequi commune reſultans ex relatione plurium, inter ſe conjunctorum. *Abſolutè* igitur *Perfectum* dum omnem continet realitatem poſſibilem abſolutè, involvit conſenſum maximum poſſibilem infinitarum realitatum in uno. Ex quibus manifeſtum eſt, WOLFIO optimè convenire cum LEIBNITIO. Videatur WOLF *in Met.* §. CLII. collat. BüLFFINGERI Dilucidat. Philoſ. *Sect. I. cap. VI. §. CXXII. p. 122. ſeq.*

G. G. Leibnitius. Chriſt. Wolfius. G. B. Bülffingerus.

CXLI. PERFECTIO ESSENTIALIS eſt multitudo realitatum abſolutarum in uno ente, ſine quibus eſſentia entis ſalva eſſe non poteſt.

Scholion: Ex. gr. *Diſtinctio* eſt perfectio eſſentialis repræſentationis, & quo plures ſunt gradûs diſtinctionis in aliquâ repræſentatione, eo repræſentatio eſt perfectior. *per def. 103.*

CXLII. PERFECTIO ACCIDENTALIS eſt multitudo realitatum abſolutarum, quæ, ſalvâ eſſentiâ alicujus entis, abeſſe poſſunt.

CXLIII

CXLIII. FELICITAS est confluxus perfectionum.

CXLIV. AMOR PURUS est promtitudo voluntatis percipiendi delectationem ex alterius felicitate.

Scholion: Est hæc definitio PHILOSOPHI in Epistolâ Hanoverâ xxv. Julii cIↄ Iↄccvii. ad me datâ: *Amor verus*, qui *mercenario* opponitur, est ille mentis affectus, quo ferimur ad delectandum alterius felicitate; quam adoptavit WOLFIUS Metaph. §. CCCCXLIX. *G. G. Leibnitius.* *Christ. Wolfius.*

CXLV. ENS ABSOLUTE PERFECTUM est Ens, quod continet omnem realitatem possibilem absolutè: ENS PERFECTUM IN SUO GENERE est Ens, quod continet omnem realitatem, in aliquo Entium genere simul possibilem. *Principia Philosophiæ 40.*

CXLVI. MONAS DERIVATIVA PERFECTIOR est, in quâ distinctè cognoscitur ratio mutationis, quæ fit in aliâ monade.

CXLVII. BONUM est id omne, quod Ens reddit perfectius.

CXLVIII. BONITAS est promtitudo voluntatis, Ens aliud extrà se reddendi perfectius.

CXLIX. CAUSA FINALIS (FINIS) est perceptio boni; vel confusè repræsentati, per Sensûs & Imaginationem, vel distinctè per Intellectum, quam producere conatur Anima rationalis per Voluntatem.

CL. MEDIUM est ratio sufficiens, cur finis potius producatur, quam non producatur.

Coroll. Repræsentatio finis est principium repræsentationis mediorum, *per def. 16.*

CLI. MEDIUM NATURALE est ratio sufficiens, cur finis producatur, quæ in solâ rei alicujus essentiâ fundatur.

CLII. SAPIENTIA est scientia inveniendi media, finibus obtinendis proportionata, eademque cum finibus ita connectendi, ut finis unus sit medium alterius.

Scholion: Hæc definitio *Sapientiæ*, adoptata à Celeb. WOLFIO, *Chr. Wolfius.*

FIO, Met. §. DCCCCXIV. eſt antiquiſſima. Neque enim veteres Philoſophi Sapientiam tantùm vocârunt *rerum ſublimium ſcientiam*; ſed & *ſcientiam media connectendi cum finibus*. Videatur PHAVORINUS in Lexico.

Phavorinus.

CLIII. MOTIVUM eſt bonitas prævifa (ſive obſcurè tantum, ſive clare, ſive etiam diſtinctè repræſentetur) in quâ determinatio animæ rationalis interna in hanc potius, quàm oppoſitam partem rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit.

CLIV. MOTIVUM FORTIUS (PRÆVALENS) eſt gradus bonitatis maximus prævifus (ſive obſcurè, ſive clarè, ſive diſtinctè repræſentetur) in quâ determinatio animæ rationalis interna prævalens rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit.

Coroll. I. Motivum prævalens voluntatem ita inclinat ad ſui productionem, ut illam animæ rationali hic & nunc perſuadeat.

Coroll. II. Motivum prævalens includit acquieſcentiam voluntatis in repræſentatione bonitatis maximæ, ſed talem, ut determinatio in partem oppoſitam ſemper maneat poſſibilis, & ſæpè etiam, (factâ licet jam determinatione) fiat actualis *per cor. 2. def. 98.*

CLV. OPTIMUM eſt bonum prævalens, quod inter plura, inæqualiter bona, factâ æſtimatione totali, voluntatem gradu bonitatis ſuæ eminente, ad ſui productionem quàm maximè inclinat.

CLVI. LIBERTAS eſt facultas ſe ipſum determinandi ex principio interno cum conſcientiâ motivorum determinationis, ad producendam potius, quàm non producendam repræſentationem optimi.

Coroll. I. Libertas includit Spontaneitatem *per def. 107.*

Coroll. II. Libertas involvit Intellectum & Voluntatem *per def. 122. & 129.*

Principia Philoſophiæ §. 49.

CLVII. LEX SAPIENTIÆ eſt illa generalis agendi ratio, ſecundum quam voluntas Sapientis ſe non ad agendum determinat, niſi ob repræſentationem graduum bonitatis vel plurium vel majorum, ſive ſecundum quam gradus bonitatis ſunt motiva Sapientis tanto fortiora, quo plures ſunt & majores.


CLVIII.

CLVIII. PRINCIPIUM MELIORIS est id, in quo ra tio sufficiens invenitur, cur sapiens in agendo constanter Legem Sapientiæ observet, *per def. 16.*

CLIX. JUSTITIA est bonitas, secundùm Legem Sapientiæ administrata.

Scholion I. Idea hæc Justitiæ involvit *constantem* & *perpetuam voluntatem* agentis, cui tribuitur, *jus suum cuique tribuendi*: prout Sacratissimus Imperator JUSTINIANUS Justitiam definit, *pr. Inst. de I. & I.* quatenus scil. Bonitas *tribuit unicuique*, & Sapientia repræsentat bonitati *Jus*, h. e. id, quod pro rei convenientiâ vel tribuere liceat, vel negare oporteat. Quomodo ex hâc Ideâ Justitiæ omnia deduci possint ejusdem attributa, jam solidè ostendit BüLFFINGERUS in Dilucid. Philos. *Sect. IV. cap. III.* §. CCCCXLV -- CCCCLI. *incl.* p. 500 — 511. *incl.* *G.B.Bülffingerus.*

Scholion II. In quo consistat exercitium hoc bonitatis secundum Sapientiæ Legem Pythagorica IUSTITIÆ definitio determinat *per distributionem æqualitatis, cuique congruentis, medii, quadrato numero impari comprehensi, ne per distributionem inæqualitatis alius plus, alius minus obtineat.* Scilicet medius numerus, inter numeros ab 1. & 9. ordine in jugo libræ utrinque dispositos, est ἡ πεντάς, quam ideò JUSTITIÆ encomio ornârunt. Vid. MEURSIUS *in denario Pythag. Cap. VII. p. 65. 67.* Pythagorei, & per examen medium in jugo libræ adumbrârunt. Jam numerus quadratus impar primus est 9. adeoque 5. est illud medium, quadrato numero impari comprehensum. *Jo Meursius.*



CLX. IMPERFECTIO est absentia perfectionis.

CLXI. MALUM est quod ens reddit imperfectius.

Scholion: PHILOSOPHUS malum triplex facit. *Malum metaphysicum* vocat nudam absentiam perfectionum in entibus creatis, quarum recipiendarum per essentiam suam sunt incapaces: *malum physicum* vocat absentiam perfectionis, cujus recipiendæ ens crea- *G. G. Leibnitius.*

tum capax eſt: (ex. gr. *Solutio continui* eſt malum phyſicum corporis humani, quia eſſentiam ejus, quæ in modo compoſitionis conſiſtit, deſtruit, adeoque abſentiam perfectionis infert, cujus corpus humanum per eſſentiam ſuam capax eſt.) *Malum* denique *morale* (*Peccatum*, *Culpam*) vocat abſentiam perfectionis, in voluntate animæ rationalis adeſſe debitæ. (ex. gr. perfectio voluntatis humanæ eſt conſtans ejusdem inclinatio verſus optimum, non confusè per ſensûs, ſed diſtinctè per intellectum cognitum, & proinde imperfectio voluntatis humanæ eſt abſentia tendentiæ ulterioris ad perfectionem ſummam, & acquieſcentia in ſenſu perfectionis, quam excitant voluptates ſenſuales, vel aliæ quævis, cum jacturâ majoris boni, ut valetudinis, virtutis &c. conjunctæ, quæ abſentia cum in voluntate adeſſe non debeat, dicitur *Malum Morale*.)

CLXII. Si malum phyſicum culpâ animæ rationalis fuerit contractum, ejusdem ſenſus eſt POENA.

Scholion: ex. gr. Senſus ſolutionis continui, ſive perceptio ejusdem confuſa animæ dicitur *Dolor*: hic autem rationem *pœnæ* habet, ſi culpâ agentis rationalis fuerit contractus.

CLXIII. POENA NATURALIS eſt ſenſus mali phyſici, qui rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in ſucceſſione impreſſionum in corporibus, ſecundùm leges motuum, à DEO ſapientiſſimè electas, factâ.

Principia Philoſophiæ. §. 21. 30.

CLXIV. POENA POSITIVA eſt ſenſus mali phyſici, cum culpâ connexus, qui rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in ſpeciali ſanctione ipſius Legislatoris.

CLXV. STATUS MONADIS CREATÆ eſt perceptio totalis, ſive perceptio, quæ reſultat ex omnibus perceptionibus partialibus præſentibus, ſimul ſumtis.

CLXVI. STATUS PERCEPTIONUM OBSCURARUM eſt ſtatus, quem ingrediuntur perceptiones partiales omnes obſcuræ.

CLXVII. STATUS PERCEPTIONUM CLARARUM eſt ſtatus, quem ingrediuntur perceptiones partiales ſaltem claræ.

CLXVIII. STATUS PERCEPTIONUM DISTINCTARUM est status, quem ingrediuntur perceptiones partiales distinctæ.

CLXIX. STUPOR est status Monadis creatæ, in quo ne quidem perceptio totalis clara est. *Principia Philosophiæ §. 21.*

Scholion. Talem animæ nostræ statum experimur in Vertigine, Deliquio animi, & Somno profundo absque insomnio.

CLXX. MONADATUM (SUBSTANTIATUM) est compositum ex monadibus per aggregationem, *per def. 48.* 2.

Scholion I. Sicut ex non-mixturâ fit mixtura, ex non-exercitu fit exercitus per compositionem: ita pariter ex non-aggregato (simplicibus) fit aggregatum (compositum) per compositionem.

Scholion II. LEIBNITIUS in Epistolâ Brunsuigâ IV. Septembr. cIɔ Iɔccxvi. ad me datâ: *Substantiatum* ego appello aggregatum ex monadibus. *G. G. Leibnitius.*

Scholion III. Dici possent Monades, stylo Leibnitiano, *partes Monadatorum*, sed non nisi *infinitè parvæ*, quæ scilicet infinities sumtæ partem aliquam Monadati constituunt, *per def. 58.*

Scholion IV. LEIBNITIUS ita rationes inire solebat: Substantiale vel est substantia simplex, vel substantiatum: hoc vel Unum per se, vel Unum per accidens, in Epistolâ Berolino XIX. Febr. cIɔ Iɔccvii. ad me datâ.

Scholion V. Aliàs compositum ex Monadibus in Principiis Philosophiæ §. 1. 2. & dans sa Replique aux reflexions de Mr. BAYLE Tom. II. *du Recueil. p. 400.* vocat *Compositum absolutè*, quia omne compositum ens est propter Monades in partes ejus ingredientes. Hæ autem solæ sunt veræ atque reales Unitates. Minus accuratè dicitur *Substantia composita;* quamvis ipse LEIBNITIUS interdum cum vulgò loquatur, in his ipsis principiis §. 17. & 30.

Scholion VI. Antiquissimi Græcorum Philosophi *Composita* vocârunt μὴ ὄντα, φαινόμενα, Entia autem simplicia dixerunt ὄντως καὶ κυρίως ὄντα. Hæc secundùm eosdem sunt veræ & constantes naturæ: illa nomine tantùm sunt res, quæ sensibus subjiciuntur, non solâ animi intelligentiâ comprehenduntur. Hinc Philosophiam definierunt *Scientiam in rebus & naturis veritatis;* scientiam autem comprehensionem rei subjectæ immotam, quam rerum nomine talium esse volunt, quatenus veras naturas quodam respectu at-

que

que casu, participant. Multitudo inultiplicando & dividendo semper agitatur & est instabilis atque fluxa. Hæc ex JOACHIMI CAMERARII *Libro de græcis latinisque numerorum notis & præterea Sarracenicis seu Indicis*, ideò adduco, ut constet, quam benè cum antiquitate conveniat definitioni Philosophiæ Wolfianæ per *Scientiam possibilium, quà talium*, in Elem. Aerometriæ in *Præfatione* & in Ratione Prælectionum *Sect. II. cap. I. §. 2. seqq.* ab ipso propositæ.

Joach. Camerarius.

Chr. Wolfius.

Principia Philosophiæ. §. 69.

CLXXI. ELEMENTUM MONADATI est id, quod in monadatum actu ingreditur, ex quo intelligi potest, cur illud ita potius, quàm aliter existat.

CLXXII. MATERIA est id, quod ex continuâ resistentiarum simplicium in Monadatis coëxistentiâ resultat.

Coroll. I. Principium materiæ est resistentia simplex Monadum *per def. 16.*

Coroll. II. Ideam materiæ ingrediuntur, resistentiæ Monadum simplices, resistentiarum coëxistentia, & coëxistentiæ continuitas.

Coroll. III. Ut instans ad tempus, ita Monas ad materiam.

Coroll. IV. Ubi nulla materia, ibi nullus est locus, *per def. 61.*

CLXXIII. MUTATIO MONADATI est variatio vel multitudinis, vel similitudinis, vel æqualitatis, vel ipsius compositionis partium monadati, *per def. 64. & def. 170.*

CLXXIV. MUTATIO LOCI CONTINUA est variatio ordinis, quem diversa, continuò coëxistentia, inter se servant, quatenus determinatio ultima relationis existentis ad alia coëxistentia fixa, non succedit primæ, nisi præcesserint omnes intermediæ, in quibus ratio sufficiens continetur, cur determinatio ultima successerit primæ *per def. 64, 61, 55, & 50.*

CLXXV. FACULTAS LOCO-MOTIVA est possibilitas conatûs ad producendam loci mutationem, *per def. 84.*

Coroll. Cùm modus, quo locus mutari potest, tantùm sit unicus possibilis, facultas etiam loco motiva non admittit diversas species, *per def. 175.*

CLXXVI.

CLXXVI. MOTUS est mutatio loci continua.

Coroll. I. Motus est continuum, à loco & tempore diversum, *per def. 61. & 67.* LEIBNITIUS Tom. II. du Recueil. p. 418.

Coroll. II. Motus involvit existentiam unius cum coëxistentibus reliquis diversis temporibus diversam.

Coroll. III. Nullus motus fit in instanti, *per def. 50.*

Coroll. IV. Nullus motus fit per saltum, *per def. 50.*

Schołion: Est autem *Saltus* cùm ab extremo ad extremum devenitur, non transeundo per intermedia, in quibus ratio habetur transitûs ab uno extremo ad alterum.

Coroll. V. Ut materia ad Locum, ita se habet motus ad tempus, LEIBNITIUS Epist. V. ad CLARK. §. *LXII. p. 119.*

CLXXVII. MOTUS INTERNUS est mutatio loci continua in iisdem partibus alicujus compositi.

G. G. Leibnitius Principia Philosophiæ. §. 7.

CLXXVIII. PLAGA est punctum, quod determinat linea recta, à principio motûs ducta.

CLXXIX. DIRECTIO est plaga, versus quam motus tendit.

CLXXX. DIRECTIO TOTALIS est directio, ex directionibus partialibus singularum materiæ partium simul sumtis, resultans.

CLXXXI. CELERITAS MOTUS est ratio spatii ad tempus.

Scholion: Sit spatium *r*, tempus *t*, erit celeritas motûs $\frac{r}{t}$

CLXXXII. QUANTITAS MOTUS est gradus, qui in mensurandâ auctione vel diminutione celeritatis pro unitate assumitur, *per def. 41.*

Scholion. Sit materia *m*, cleritas *c*, erit quantitas motûs *mc*.

CLXXXIII. LEX MOTUUM est formula generalis, exprimens id, quod consecutiones diversæ motuum ex motibus inter se commune habent, quatenus omnis motus oritur ex motu per trusionem, quâ pars materiæ, ab extrà determinata, trudit alteram, *per def. 54.*

Coroll. Lex motuum non admittit diversas species, *per cor. def. 176.*

CLXXXIV. LEX APPETITUUM ET MOTUUM GENERALIS est formula generalis eadem, sed in monadibus & monadatis ita determinata, ut ratio determinationis motûs sit in monadibus & ratio determinationis perceptionis sit in monadatis.

CLXXXV. CONATUS PARTIUM MATERIÆ est nisus sive tendentia continua partium materiæ ad producendum motum, quæ se ad directionem omnem & celeritatem motûs indifferenter habet, quâ facultas loco motiva, directione & celeritate motûs ab alio principio externo determinatâ, in actum deducitur, *per def. 82. & 177.*

Scholion I. Conatus hic in omnes plagas solum illud est, quod in motu partium materiæ reale est. Quodsi enim directio à principio externo determinetur, motus necessariò sequitur, & impossibile est, positâ hâc motûs determinatione in uno, non sequi hunc motum in altero, nisi impediatur. Jam verò sublato impedimento nihil novi accedit partibus motis, quod ante non inerat.

G. G. Leibnitius. Scholion II. LEIBNITIUS in Epistolâ Berolino XV. Febr. „cIↃ IↃCCVII. ad me datâ: Præter tres dimensiones singula pun„cta, ex. gr. in cubo gravitatem & impetum recipiunt.

CLXXXVI. VIS MOTRIX non est nisi conatus partium materiæ.

Coroll. I. Vis motrix est medium quid inter motum & facultatem loco-motivam. *per cor 1. def. 84.*

Coroll. II. Vis motrix est perdurans quid, *per cor. 2. def. 84.*

CLXXXVII. QUANTITAS VIRIUM MOTRICIUM est gradus, qui in mensurandâ auctione vel diminutione virium motricium pro unitate assumitur, *per def. 41.*

CLXXXVIII. QUANTITAS VIRIUM MOTRICIUM TOTALIS est collectio omnium graduum earundem, quorum tot accedunt uni parti materiæ, quot alteri ejusdem parti, decedunt.

CLXXXIX.

CLXXXIX. IMPETUS eſt conatus partium materiæ, cujus directio ab aliâ parte materiæ ab extrà eſt determinata.

Coroll. I. Vis motrix eſt principium externum impetûs, quatenus directionis determinatio in principio externo trudente rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit, *per def. 186. & def. 16.*

Coroll. II. Impetus eſt principium externum motûs, *per def. 177. & 16.*

Coroll. III. Motus ſequitur impetum niſi impediatur.

CXC. NATURA non eſt niſi Vis motrix : diciturque PARTICULARIS, quatenus ab eſſentiâ monadati determinatur; UNIVERSALIS, quatenus ſe ad omnem eſſentiam monadatorum indifferenter habet.

CXCI. ORDO NATURÆ eſt coëxiſtentia & ſucceſſio motuum, è pluribus poſſibilibus perfectiſſima.

CXCII. ATOMUS NATURÆ eſt Ens, in quod natura compoſita per motum dividere non poteſt.

CXCIII. DIVISIBILITAS eſt qualitas materiæ, vi cujus partes ejusdem, mediante motu, à ſe invicem ſeparari poſſunt.

CXCIV. CORPUS eſt id, quod reſultat ex compoſitione partium materiæ & naturâ præditum eſt.

Coroll. I. Corpus eſt compoſitum, *per def. 48.*

Coroll. II. Eſſentia corporis eſt ſtructura vel compoſitio partium materiæ inter ſe, *per def. 49.*

Coroll. III. Corpus reſpectu materiæ eſt paſſivum, reſpectu naturæ activum.

Scholion. Ideam corporis ingrediuntur ideæ materiæ, ſtructuræ, ſive compoſitionis & naturæ.

CXCV. STATUS CORPORIS eſt collectio omnium impreſſionum, quas recipiunt partes corporis à corporibus ambientibus, quatenus omnes illæ efficienter concurrunt ad determinationes motuum, ſtatum corporis conſequentem abſolventium.

CXCVI. INFLUXUS CORPORIS IN ALIUD CORPUS eſt mutatio corporis per motum; quatenus principium externum motus eſt in alio corpore, & dicitur ACTIO, reſpectu corporis, motum in altero corpore determinantis, PASSIO reſpectu corporis, cujus motus ab extrà determinatur, *per def. 64.*

CXCVII. CORPUS ORGANICUM (ORGANA) eſt compoſitum diſſimilare, cujus mutationes extantiores monas derivativa ſibi immediatè & clarè, & ſecundum quod reliquorum omnium mutationes ſibi mediatè & obſcurè repræſentat in ſuo ſimplici.

Scholion I. Ex. gr. Oculus humanus per ſtructuram ſuam, à partibus aliis corporis humani diverſam, fortiorem à lumine impreſſionem recipit, quàm ab aliis corporibus ambientibus, ita ut hinc impreſſio luminis in oculo facilè ſecernatur ab impreſſione ejusdem luminis, ex. gr. manûs illabentis.

Scholion II. LEIBNITIUS in Epiſtolâ Hanoverâ XV. Decembr. „ cIↃ IↃCCCVII. ad me datâ: Vellem corpus humanum deſcri- „ bi, principio ſumto à causâ finali, ſeu officio, & dicere ſoleo: „ *eſſe machinam conſervandæ contemplationis gratiâ inventam.* Aliàs „ corpus humanum eſt machina, ut ita dicam, pyrobolico-hy- „ draulico-mechanica.

CXCVIII. PHAENOMENON eſt perceptio, quæ, quà id, quod continet, rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in relatione ad impreſſionem, quam corpora in organis ſenſoriis producunt.

Coroll. Phænomena non ſunt in animæ poteſtate.

Scholion: Phænomenon dicitur *Obſervatio*; ſi ſe offerat nobis, nihil ad id cooperantibus: *Experimentum*; ſi à nobis ipſis applicando agens naturale ad patiens eliciatur.

CXCIX. EXTENSIO eſt perceptio continuitatis in diverſis coëxiſtentibus, ſive continuitas diverſorum coëxiſtentium, in ſubjecto individuo repræſentata.

Coroll. Perceptio ſolius coëxiſtentiæ plurium diverſorum, præcis à continuitate, non involvit extenſionem.

CC. FI-

CC. FIGURA est perceptio terminorum continuitatis, in diversis coëxistentibus, sive termini continuitatis diversorum coëxistentium in subjecto individuo repræsentati.

CCI. ATOMUS MOLIS est pars materiæ indivisibilis, & determinatam tamen agnoscens magnitudinem & figuram.

CCII. MONAS DERIVATIVA DOMINANS (ENTELECHIA CREATA DOMINANS) est Ens simplex, cui respondet corpus aliquod organicum. *Principia Philosophiæ. §. 73.*

CCIII. UNUM PER SE est Monadatum, quod à Monade dominante vegetatur, sive Monas incorporata.

Scholion I. Tale est Homo, Ovis, LEIBNITIUS in Epistolâ Berolino XV. Febr. CIↃ IↃCCVII. ad me datâ. ,, *G. G. Leibnitius.*

Scholion II. IDEM Tomo II. *du Recueil. p. 329.* Une veritable ,, substance, telle, qu' un animal, est composée d' une ame im- ,, materielle & d' un corps organique ; & c' est le composé de ,, ces deux, qu' on appelle *unum per se.* ,,

CCIV. UNUM PER ACCIDENS est Monadatum, quod à nullâ Monade dominante monadatur.

Scholion: Tale est Exercitus, Grex ovium. LEIBNITIUS in Epistolâ modo citatâ.

CCV. Si unum per accidens componatur ex aliis monadatis, quæ etiam sunt unum per accidens, est MASSA.

Scholion: Talis massa est Caseus, acervus lapidum. LEIBNITIUS *loc. cit.*

CCVI. VIVENS est monas nuda, cum corpore organico conjuncta; diciturque CORPUS VIVUM simpliciter. 73.

Coroll. Vivens est compositum, *per def. 48.*

CCVII. ANIMANS (ANIMAL) est anima, cum corpore organico conjuncta; sive corpus vivum, cujus monas dominans est Anima. 73.

Coroll. Omne animans est Vivum; non contrà.

CCVIII. ANIMANS SIMPLEX (ANIMAL IRRATIONALE) est anima sensitiva, cum corpore suo organico

ſpectata ; ſive corpus vivum, quod ab animâ ſenſitivâ dominante vegetatur.

CCIX. ANIMAL RATIONALE eſt Anima rationalis ſive ſpiritus, cum corpore ſuo organico ſpectatus ; ſive corpus vivum, cujus monas dominans eſt Spiritus.

CCX. ANIMAL SPERMATICUM eſt animalculum, cui non repugnat elevatio ad gradum animantium majorum.

CCXI. ANIMAL SPERMATICUM ELECTUM eſt animal ſpermaticum, quod actu per conceptionem transformatur in animal alterius ſpeciei.

CCXII. ANIMAL SPERMATICUM NON ELECTUM eſt animal ſpermaticum, quod ſpeciem ſuam non mutat per conceptionem.

CCXIII. MACHINA (AUTOMATON) eſt Ens, cujus mutationes rationem ſufficientem agnoſcunt in eſſentiâ illius.

CCXIV. MACHINA INCORPOREA eſt Ens ſimplex, cujus mutationes ſecundùm legem appetituum ex eſſentiâ illius indiviſibili ſucceſſivè conſequuntur, ut in præcedenti mutatione ratio ſufficiens exiſtentiæ conſequentis mutationis contineatur.

Scholion : Ideam Machinæ incorporeæ in nobis invenimus, attendentes ad *Memoriam*.

CCXV. MACHINA CORPOREA eſt compoſitum, cujus proprietates & mutationes omnes rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſtructurâ ejusdem, ſive compoſitione, agnoſcunt.

Principia Philoſophiæ. §. 67. CCXVI. MACHINA CORPOREA DIVINA (AUTOMATON CORPOREUM NATURALE) eſt machina corporea, quæ in minimis partibus in infinitum eſt machina corporea.

67. CCXVII. MACHINA CORPOREA HUMANA (AUTOMATON CORPOREUM ARTIFICIALE) eſt

eſt machina corporea, quæ non manet machina corporea in quâlibet ſuî parte.

Scholion. *Mechanicè explicare* eſt ex figuris & compoſitione partium effectus compoſiti deducere. *Principia Philoſophiæ* §. 17.

CCXVIII. GENERATIO (ORTUS) NATURALIS eſt modus, quo monadatum aliquod exiſtere incipit, qui intelligi & explicari poteſt per ſucceſſivam partium compoſitionem. 5.

CCXIX. MORS (INTERITUS) NATURALIS eſt modus, quo monadatum aliquod exiſtere deſinit, qui intelligi & explicari poteſt per ſucceſſivam partium diſſolutionem. 4.

Coroll. I. Per generationem & mortem naturalem inexiſtentia eſſentiæ in hoc vel illo monadato mutatur, *per cor. def. Eſſent.* non ipſa eſſentia compoſiti.

Coroll. II. Generatio & mors ſunt mutationes compoſitorum, *per def. 173.*

CCXX. GENERATIO PERFECTA ET RIGOROSE SIC DICTA (ORTUS TOTALIS) eſt modus, quo monas derivativa poſſibilis in inſtanti fit actualis. 76.

CCXXI. MORS PERFECTA ET RIGOROSE SIC DICTA (INTERITUS TOTALIS) eſt modus, quo monas derivativa exiſtens in inſtanti exiſtere deſinit. 14, 79, 86.

CCXXII. MUNDUS (UNIVERSUM CREATURARUM, RERUM UNIVERSITAS) eſt aggregatum omnium ſimplicium & compoſitorum, ſimul & ſucceſſivè exiſtentium, ſive inter ſe ſecundùm locum & tempus connexorum. 36.

Scholion. Videatur PHILOSOPHUS Epiſtol. V. ad CLARK. §. *LIX. p. 118.* *G. G. Leibnitius.*

CCXXIII. DEUS eſt Ens, quod continet rationem ſufficientem exiſtentiæ hujus potius mundi, quàm alterius cujuſcunque poſſibilis. 39, 55.

Scholion. BOËTHIUS *de Conſolatione Philoſophiæ Lib. III. Proſâ XII. p. 1058.* „Hoc, quicquid eſt, quo condita manent atque agitantur, uſitato cunctis vocabulo DEUM nomino. *Sever. Boëthius.*

CCXXIV.

CCXXIV. CERTITUDO EVENTUUM (DETERMINATA VERITAS FUTURORUM) eſt qualitas univerſi alicujus poſſibilis, vi cujus nullum in eo factum aſſignari poteſt, cujus non una contradictoriarum ab æterno vel vera fuerit vel falſa.

Coroll. Certitudo eventuum eſt principium præſcientiæ eorundem; *per def. 16.*

CCXXV. ARCHITECTUS eſt, cujus intellectus operis alicujus ideam invenire poteſt, fini, ſibi propoſito, ſatisfacientem.

CCXXVI. ARCHITECTUS (INVENTOR) UNIVERSI CREATURARUM eſt, cujus intellectus Ideam univerſi creaturarum illam invenire poteſt, quæ fini ſibi propoſito ſatisfacit.

Principia Philoſophia §. 54. CCXXVII. PERFECTIO MAXIMA MUNDI eſt realitas abſoluta omnium mundi partium inter ſe connexarum, maxima poſſibilis *per def. 140.*

CCXXVIII. INFLUXUS DEI (ACTIO DEI EXTERNA) eſt illud, ex quo ratio ultima reddi poteſt illius, quod in mutationibus entium creatorum abſolutè reale eſt.

CCXXIX. CREATIO MUNDI eſt actio DEI externa, ex quâ ratio ultima reddi poteſt, cur Mundus aliquis poſſibilis fiat actualis.

Coroll. *Generatio perfecta* involvit creationem.

CCXXX. CONSERVATIO MUNDI eſt creatio continua omnis realitatis abſolutæ in entibus creatis.

CCXXXI. ANNIHILATIO eſt actio DEI externa, ex quâ ratio ultima reddi poteſt, cur aliquid, quod exiſtit, exiſtere deſinat in inſtanti.

CCXXXII. INDESTRUCTIBILITAS eſt qualitas monadis derivativæ, quatenus exiſtentia ejus deſinere non poteſt niſi per annihilationem.

Coroll. Indeſtructibilitas eſt oppoſitum mortis perfectæ, *per def. 221.*

CCXXXIII.

CCXXXIII. IMMORTALITAS est indestructibilitas animæ rationalis, in quantum illa indestructibilitatis suæ etiam sibi conscia est.

CCXXXIV. INTELLECTUS DEI est adæquata & simultanea omnium possibilium repræsentatio.

Coroll. Intellectus divinus est merus actus.

CCXXXV. SAPIENTIA DEI est scientia connectendi finem generalem cum specialibus talis, ut speciales sint media omnes fines simul possibiles plenissimè & brevissimè obtinendi.

CCXXXVI. VOLUNTAS ABSOLUTE PERFECTA est conatus infallibiliter producendi repræsentationem boni alicujus possibilis distinctam pro gradu bonitatis ejusdem.

Scholion. Conatus hic involvit (1.) consensum repræsentationis bonitatis cum ipso objecto, qui ex perfectione intellectûs pendet, (2.) consensum volitionis cum repræsentatione motivorum, (3.) consensum volitionis unius cum alterâ, (4.) consensum volitionis cum potentiâ, executioni præsidente, *per Schol. def.* 140.

CCXXXVII. VOLUNTAS DEI est conatus absolutè perfectus infallibiliter producendi repræsentationem adæquatam optimi possibilis. *Principia Philosophiæ* §. 55.

CCXXXVIII. LIBERTAS DEI est perfectio divinæ voluntatis, vi cujus rationem ultimam determinationis suæ non habet aliam, nisi adæquatam Optimi repræsentationem.

Coroll. DEUS *liberrimè agit*, quatenus motivum agendi prævalens in ipso non est, nisi adæquata repræsentatio Optimi.

CCXXXIX. VOLUNTAS DEI ANTECEDENS est conatus absolutus & prævius producendi omne bonum, ab intellectu divino adæquatè repræsentatum.

CCXL. NOLUNTAS DEI ANTECEDENS est conatus absolutus & prævius impediendi omne malum,

quatenus nulla ſcheſis mali datur, quâ illius odium mutari poſſit in amorem.

CCXLI. VOLUNTAS DEI PRÆSUMTIVA eſt determinatio divinæ voluntatis, cujus connexio cum optimo ab animâ rationali ante eventum præſumitur.

CCXLII. VOLUNTAS DEI CONSEQUENS eſt conatus finalis, prævalens & decretorius producendi repræſentationem adæquatam Optimi.

CCXLIII. MIRACULUM eſt mutatio, cujus ratio ſufficiens non continetur in eſſentiis quorumcunque entium creatorum.

Coroll. Miraculum, propriiſſimè ſic dictum, involvit neceſſarium reſpectum ad ſolam & immediatam DEI voluntatem. Vid. PHILOSOPHUS *in Theodic. Part. II. §. CCVII, p. 382.*

G. G. Leibnitius.

CCXLIV. BONITAS DEI eſt promtitudo divinæ voluntatis intenſiſſima, creaturis omnibus conferendi perfectiones, quarum per eſſentiam ſuam capaces ſunt, univerſas, *per def. 148.*

CCXLV. JUSTITIA DEI eſt bonitas DEI ſecundum Legem Sapientiæ DEI adminiſtrata, *per def. 159.*

Principia Philoſophiæ §. 46. 49.

CCXLVI. POTENTIA DEI eſt abundantia realitatis tanta, quæ exhibendæ exiſtentiæ cujuscunque poſſibilis ſimpliciter, ſufficiens eſt.

Coroll. Voluntas DEI eſt exercitium potentiæ divinæ *per def. 236. 237.* Conf. PHILOSOPHUS Part. I. Theodicææ *§. VII. p. 115.*

G. G. Leibnitius.

Scholion. Hinc IDEM *in Principiis hiſce §. XLIX. Potentiam* DEI vocat fontem omnium, h. e. principium omnis realitatis extrà DEUM, quatenus poſſibilitas rerum involvit neceſſarium reſpectum ad aliquod *Exiſtens*, cujus vires illius exiſtentiæ exhibendæ ſufficiunt, h. e. quod *Potens* eſt.

CCXLVII. POTENTIA DEI RELATA ad poſſibile, ſimpliciter tale, ABSOLUTA; ad poſſibile reſpectivum ORDINATA vocatur.

CCXLVIII. MAGNITUDO DEI eſt potentia DEI cum Sapientiâ DEI conjuncta.

CCXLIX. GLORIA DEI eſt ſatisfactio, quam DEUS invenit in cognitione & admiratione perfectionum ſuarum, in ſpiritibus finitis excitatis.

CCL. MANIFESTATIO GLORIÆ DIVINÆ eſt repræſentatio perfectionum divinarum in perfectione Mundi à DEO producti, quatenus illæ à ſpiritibus finitis intelliguntur, & admirationem maximam poſſibilem in illis excitant.

CCLI. GLORIAM DEI SERIO INTENDERE eſt conari efficere actionibus ſuis, ut oriatur in animabus rationalibus divinarum perfectionum ſolida cognitio & intima admiratio.

CCLII. FELICITAS DIVINA eſt perfectionum omnium confluxus, *per def. 143. & Schol. def. 140.*

CCLIII. AMOR PURUS DEI eſt promtitudo voluntatis creatæ percipiendi delectationem ex felicitate divinâ, *per def. 144.*

CCLIV. CULTUS DEI (PIETAS PHILOSOPHICA) eſt actio animæ rationalis, cujus motivum eſt divina perfectio.

Scholion. Eſt hæc definitio Cel. WOLFII, quam dedit in Ratione ſuarum Prælectionum Part. II. cap. IV. *§. XXVIII. p. 198*, mirificè moralibus fœcunda. *Christian. Wolfius.*

CCLV. SOCIETAS eſt conjunctio diverſorum entium rationalium, ad certum finem obtinendum. *Principia Philoſophia §. 88. 90.*

CCLVI. CIVITAS DEI eſt Societas DEI & ſpirituum finitorum, ſimul ſumtorum, cujus finis communis eſt gloria DEI.

CCLVII. BEATITUDO SPIRITUUM FINITORUM eſt progreſſus ſpirituum finitorum non impeditus ad perfectiones plures & majores: quæ MAXIMA POSSIBILIS eſt, ſi ad perfectiones maximas, quarum Spiritus finiti *§ 93.*

 per

per eſſentiam ſuam finitam capaces ſunt, continuò tendat.

ex er. Boëthius. Scholion. BOETHIUS de Conſolatione Philoſophiæ Lib. III. Proſâ II. *Oper. p. 1009.* Beatitudo eſt ſtatus bonorum omnium (quorum ſcilicet creatura rationalis per eſſentiam ſuam capax eſt) aggregatione perfectus.

CCLVIII. MONARCHIA eſt civitas, in quâ ab unius arbitrio cura beatitudinis Univerſorum pendet: quæ vocatur UNIVERSALIS, ſi omnia Entia rationalia, ſocietatis capacia, complectatur.

CCLIX. MONARCHA eſt, à cujus arbitrio cura beatitudinis reliquorum omnium in Monarchiâ pendet; qui dicitur OPTIMUS, quatenus voluntas ejus fertur ad conferendam omnibus in civitate perfectionem maximam poſſibilem; *per def. 243.* idemque dicitur PERFECTISSIMUS, quatenus illius magnitudo & bonitas procurandæ beatitudinis maximæ omnium animarum rationalium ſufficiunt, *per def. 247.*

CCLX. MONARCHIA PERFECTISSIMA eſt monarchia, cujus Monarcha eſt perfectiſſimus.

CCLXI. CIVIS BONUS eſt anima rationalis ſive ſpiritus finitus, qui voluntatem Monarchæ optimi & perfectiſſimi præſumtivam conſtanter exequi conatur: MALUS eſt, qui voluntatem ſuam voluntati illius præſumtivæ non conformat.

CCLXII. MISERIA eſt ſtatus perpetuæ calamitatis Civis boni.

Principia Philoſophiæ §. 90. CCLXIII. REGNUM CAUSARUM EFFICIENTIUM eſt connexio cauſarum efficientium inter ſe, à quâ pendent motûs monadatorum.

CCLXIV. REGNUM CAUSARUM FINALIUM eſt connexio cauſarum finalium inter ſe, à quâ pendent mutationes monadum.

§2, 93. CCLXV. REGNUM NATURÆ (PHYSICUM) MECHANISMUS eſt utrumque regnum, quatenus mutatio-

tationes monadum per fines & media, & motûs monadatorum per causas efficientes producuntur.

CCLXVI. HARMONIA IN GENERE est relatio plurium ad se invicem, vi cujus unum inveniri potest ex altero.

CCLXVII. HARMONIA REGNI CAUSARUM EFFICIENTIUM ET CAUSARUM FINALIUM est talis connexionis causarum efficientium inter se ad connexionem causarum finalium inter se relatio, à DEO prævisa, vi cujus una inveniri potest ex alterâ, *per def. 265, 262, 263.* *Principia Philosophiæ. §. 82, 90, 62, 64, 66.*

CCLXVIII. HARMONIA ANIMÆ ET CORPORIS HUMANI est connexio perceptionum singularum alicujus animæ cum determinatis alicujus corporis motibus, à DEO prævisa, vi cujus DEUS existentiam dedit animæ, se ipsam spontè determinantis, ad perceptiones suas successivè evolvendas, secundùm locum corporis alicujus in universo, eodem ordine, quo sibi succedunt impressiones corporum circumstantium in organa ejusdem sensoria, & corpus tale secundùm illarum exigentiam condidit, quod ad motûs, perceptionibus congruos, per vim motricem justo gradu, ordine & tempore producendos, determinatur, ita ut ex iis, quæ fiunt in animâ, possint inveniri, quæ fiunt in corpore.

Coroll. Harmonia Animæ & Corporis est necessaria Harmoniæ utriusque Regni sequela.

CCLXIX. REGNUM GRATIÆ (MORALE) est administratio optima regiminis Spirituum finitorum.

Scholion. Dicitur *Providentia DEI specialis*, quatenus sub hoc regimine optimo nulla actio bona est sine remuneratione, & nulla actio mala est sine pœnâ. Conf. etiam LEIBNITIUS in Theodicæâ Part. I. §. *LXII. p. 176. & Tom. II. du Recueil. p. 399. seqq.* *93.* *G. G. Leibnitius.*

CCLXX. HARMONIA REGNI NATURÆ ET REGNI GRATIÆ est relatio administrationis optimæ regiminis spirituum finitorum ad connexionem causarum efficientium & finalium, à DEO prævisa, vi cujus Machina universi corporea talis à DEO electa est, ex quâ regimen *Principia Philosophiæ, 90, 91.*

 opti-

optimum ſpirituum finitorum inveniri poteſt, *per def. 265, 264. & 267.*

CCLXXI. UNUM REPRÆSENTAT ALTERUM, ſi ex dato uno ejusdemque lege, ſecundùm quam ex ſuo præcedenti ſequitur, inveniri poteſt alterum, & contra.

CCLXXII. SPECULUM (SIMULACRUM, IMAGO) dicitur id, quod repræſentat alterum.

CCLXXIII. ORIGINALE dicitur id, quod ab alio repræſentatur.

Coroll. Quæ in Originali à ſe invicem diſtingui poſſunt, illa ex imagine ejusdem, ſi perfecta fuerit, inveniri poſſunt, *per def. 270.*

CCLXXIV. SIMULACRUM DIVINITATIS EST Ens rationale, cujus ratio agendi repræſentat divinam agendi rationem.

Principia Philoſophiæ 58, 63, 80, 81. CCLXXV. HARMONIA RERUM UNIVERSALIS PRÆSTABILITA eſt talis omnium Entium ſimplicium & compoſitorum in principio rerum ad ſe invicem relatio, in Ideâ DEI fundata, vi cujus à ſingulis ſimplicibus & compoſitis omnia ſimplicia & compoſita in univerſo, eſſentiæ ſuæ convenienter, repræſentantur, ita ut intellectus DEI in quolibet Ente ſimplici & compoſito intueatur omnia quæ fuerunt, ſunt, & futura ſunt in omnibus entibus reliquis ſimplicibus & compoſitis, *per def. 265.*



AXIO-

AXIOMATA.

Axioma I.

IDem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: ſive : Idem ſimul verum & falſum eſſe non poteſt. *Principia Philoſophia §. 31.*

Scholion I. *Axioma* hoc dicitur *Principium contradictionis*, *per def. 17.* Principium contradictionis.

Scholion II. Obſervo hic, *Principium contradictionis reſolvi in Principium Identitatis.* Omnis enim Propoſitio contradictoria (ex. gr. *quod caret partibus*, *illud non caret partibus*) ideò falſa eſt ; quia hæc identica, ob intimam ſcilicet ſubjecti & prædicati connexionem, cujus ulterior dari ratio non poteſt, (*quod caret partibus, illud caret partibus*) vera eſt. Identica autem quà ſenſum & ſonum mutatur in propoſitionem, quæ fundatur in Principio contradictionis, & hæc in illam per mutuam ſubſtitutionem vel definitionis aut definiti, ſive ſubjecti ſive prædicati, propoſitionis, vel etiam conceptûs generici loco ſpecifici, &c. Principium Identitatis.

Axioma II.

QUicquid exiſtit, illud agnoſcit rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ, cur ita potius, quàm aliter exiſtat. *Principia Philoſophia. §. 32*

Coroll. Ens abſolutè neceſſarium agnoſcit rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſo: Ens abſolutè contingens in alio exiſtente, *per def. 24. & 22.*

Scholion I. *Axioma* hoc dicitur *Principium rationis ſufficientis*, *per def. 18.* Principium Rationis ſufficientis.

Scholion II. Obſervo hic, *Principium rationis ſufficientis reſolvi in Principium contradictionis.* Eadem enim in Demonſtratione WOLFIANA *§. XXXI. Inſtit. Met. ſive Cogitat. rat. de DEO, Mundo & Anima humana*, non admiſſo Principio rationis ſufficientis, ſimul ſunt eadem & non ſunt eadem, quod evertit *Axioma I.* Sed confer tamen quæ monet Cl. GEORG. BERNH. BULFFINGERUS in Dilucidationibus Philoſophicis *Sect. I. cap. III. §. LXXIX. p. 74. ſeq.* *Chr. Wolfius.* *G. B. Bülffingerus.*

Scholion III. LEIBNITIUS hoc Axioma negativè effert : *Nihil fit ſine ratione ſufficiente.* Vid. BULFFINGERUS *loc. cit. Sect. I. cap. III. §. LXXIII. p. 70.* *G. G. Leibnitius.*

Scho-

M. T. Cicero.

Scholion IV. CICERO Lib. II. de Divinatione *fol. 317. b. Nihil fieri ſine cauſa poteſt, nec quicquam fit, quod fieri non poteſt.* En Principium Rationis ſufficientis Leibnitianum, jam CICERONI cognitum & applicatum!

Principia Philoſophiæ §. 2.

THEOREMATA.

THEOREMA I.

MONADES EXISTUNT.

Monadum exiſtentia.

Demonſtratio.

Exiſtunt compoſita; *per experientiam* conſequenter & partes compoſitorum, *per def. 47, 48.* Sed quicquid exiſtit, agnoſcit rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ, cur ita potius, quàm aliter exiſtat, *per ax. 2.* Jam partes partium in compoſitis, in infinitum progredientes, determinatam ſuam magnitudinem & figuram agnoſcunt, *per experientiam*, conſequenter non ſunt, niſi compoſita, *per def. 38. 48. & 200.* Igitur partes in compoſitis rationem ſufficientem, ex quâ illarum magnitudo & figura intelligi & explicari poſſint, non agnoſcunt in partibus in infinitum, & hypotheſis exiſtentiæ partium in infinitum, ſine hypotheſi exiſtentiæ ſimplicium, quæ partibus carent, *per def. 85.* impoſſibilis eſt abſolutè, *per def. 3.* Ergo, exiſtentibus compoſitis, exiſtunt Entia ſimplicia, conſequenter MONADES exiſtunt, *per def. 86.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius.

Scholion I. Quicquid in Monadatis reale eſt, à Monadibus eſt. LEIBN. *Journal des Sçav. 1695. p. 454.* Et ſicut numerus, qui eſt compoſitum ex collectione unitatum, *per Schol. 1. def. 37.* intelligi nequit ſine unitatibus: ita nec Monadatum ſine Monadibus, *per def. 170. & Scholion. 1. 5.* Hinc LEIBNITIUS *MONADES* vocat veras atque reales Unitates, *l. c. p. 446.* Atomos, non molis, ſed ſubſtantias, itemque Formas ſubſtantiales, Entelechias primas, Vires primitivas *ibid. p. 447.* Puncta Metaphyſica *p. 453.* add. Recueil de diverſes Pieces *Tom. II. p. 365.*

Synonyma Monadum.

Scho-

Scholion II. MONAΣ, id eſt, UNUM, ita vocatur παρὰ τὸ μένειν, ſicut ἀπὸ τοῦ πένεσθαι πόνος, ἀπὸ τοῦ γέγονα γόνος, & alia ſimilia quàm plurima ſimiliter fiunt. Rationem derivationis hanc aſſignant veteres, quòd omnis multitudo *inſiſtat in Uno*, & numerus omnis, cui Unum applicatur, *idem permaneat*, ut ſemel duo, ſemel tria, ſemel quatuor, &c. PYTHAGORICI τὴν μονάδα definiunt, per ἀρχὴν ἀριθμοῦ, θέσιν μὴ ἔχουσαν. θέσις enim eſt σημείου (Puncti geometrici) τάξις μονάδος. Bellum eſt, quod animadverterunt quidam, nomen Μονάς eas habere literas, quæ ſint notæ numeri 361, & circulum, qui *Signifer*, & *Via Solis* vocatur, ſicut omnem circulum, dividi ſolere in gradûs, quæ ſunt μοῖραι 360. Sunt, quibus τὴν ἑνάδα καὶ τὴν Μονάδα pro iisdem accipi, non placet: quod τὸ ἝΝ (*UNUM ſimpliciter*) indiviſum ſit & nullo modo mutetur & ſuperet atque contineat omnem de quibuscunque cogitationem. Hinc τὸ ἓν νοητὸν ἀριθμὸν vocârunt: quoniam in EO notio numeri tantum ſit cogitatio quædam & mentis contemplatio, non apparente proprietate & naturâ. Multis aliis nominibus τὴν μονάδα inſignierunt PYTHAGORICI, ὕλην καὶ πανδοχέα καὶ εἶδος εἰδῶν eam appellantes, quorum quædam collegit JO. MEURSIUS in Denario Pythagorico *cap. III. p. 16 -- 23.* incl. Ex veteribus, PLATONIS Præceptor & in ſucceſſione à PYTHAGORA octavus, ARCHYTAS TARENTINUS ſcripſiſſe fertur περὶ τῆς δεκάδος, in quo libro ſine dubio de eſſentiâ & proprietatibus numerorum, adeoque & τῆς μονάδος egit. Vid. Cel. JO. ALB. FABRICIUS, Fautor & Amicus noſter honoratiſſimus in Bibliothecâ Græcâ *Lib. II. cap. XIII. p. 482. ſeq.* A PETRO BUNGO citatur JOANNES quidam (prout ex Catalogo Auctorum præmiſſo operi de Numerorum myſteriis conjicio) DEE *de Unitate in Margine p. 51.* qui ſcripſerit peculiarem Librum, cui titulus eſt: *Monas hieroglyphica.* (vide Indicem auctorum) Etſi autem Μονάς tantùm eſt ἀρχὴ ἀριθμοῦ, (*fons & origo numeri*) omnem tamen numeri vim & poteſtatem complectitur; οὐκ ἐνεργείᾳ (*cum effectu*) ἀλλὰ δυνάμει (*in quâdam interiore ſuâ poteſtate*) ἀριθμός. Ita Μονάς numerum & parem & imparem comprehendit; eſt primus numerus quadratus, primus numerus cubicus &c. DUO generantur quaſi per fluxum UNIUS, ut in Geometriâ Linea per fluxum Puncti, & incipiunt eſſe numerus, ſed nondum prorſus ſunt, deſignantque Lineam, quæ ab uno extremo ad alterum habet tantùm ſpatium unius dimenſionis 1 ———— 1.

Marginalia: Μονάς. — σημεῖον — ἕν — *Jo. Meurſius.* — *Archytas.* — *Jo. Alb. Fabricius.* — *Petr. Bungus.* — *Jo. Dee.* — Δυάς

Sed TRIA jam planè numerus sunt. Hinc PYTHAGORICI *τριάδι* perfectionem tribuunt: *ἐνεργείᾳ* etiam, non solùm *δυνάμει* eò quod UNUM atque DUO actu comprehendit, & *σχῆμα* pri-
1
mum *ἐπίπεδον*, (*figuram primam planam*) quod est *τρίγωνον*, 1 1 spatium habens duarum dimensionum, designat. Sicut OCTO designant primum *σχῆμα στερεὸν*, (*figuram primam solidam*) ad longitudinem atque latitudinem addens densitatem, *σῶμα* (*moles corporis*) adpellatum, spatiumque adeò trium dimensionum agnoscens. Existit enim *ὀγδοὰς* per multiplicationem trium numerorum (*bis duo bis sunt octo*) & in omni cubo octo sunt anguli solidi. *Μονὰς* secundum *PYTHAGOREOS* neque numerus est neque pars numeri. Non numerus; quia multitudo non est; non pars numeri; quia omnis pars numeri etiam est numerus: *μέρος ἐστιν ἀριθμὸς ἀριθμοῦ, ὁ ἐλάσσων τοῦ μείζονος, ὃ ἐὰν καταμετρῇ τὸν μείζονα*, ex definitione apud EUCLIDEM. Hinc soli numeri compositi, (quos non UNO tantùm, sed pluribus numeris metiri licet) *partem*; (ex. gr. 45. habet partem 5. & 9.) numeri primi autem (quos sola *μονὰς* metitur) *partes* habere dicuntur. (ex. gr. 3. 5. 7.) Atque ex hoc principio negârunt, *δυάδα* esse numerum perfectum & inchoatum tantùm numerum vocârunt. Cum igitur UNUM non sit numerus, sed numerum tantùm determinet: pars etiam propriè numeri dici nequit: *τριὰς* autem ideò numerus perfectus est; quod natura & proprietas numeri, in ternario perficitur, quatenus in ternario nulla pars est, nisi *παρώνυμος* totius, hoc est, *tertia*, quæ tamen, cùm non sit numerus, sed UNUM, pars ejus propriè sic dicta non est. At in HEXADE, quæ existit per additionem trinam binarii, (*ter duo sunt sex*) partes 2, 2, 2, tanquam parentes, æquales sunt toti, tanquam soboli. Hinc *ἑξὰς* dicitur numerus planus perfectus, constans partibus suis cunctis & *τὴν τριάδα* complectens, primus inter numeros pariter impares, partibus suis totus completur, medius in tria dividitur, est numerus areæ trianguli recti-linei, cujus latera, angulum rectum includentia, sunt 4. & 3. & hypotenusa est 5, continet proportionem arithmeticam, 1, 2, 3, quibus numeris scil. 6. conficiuntur. Cùm omnis tandem multitudo UNITATE circumscribatur, PYTHAGOREI *τὴν μονάδα* sic definierunt, quòd sit *τὸ διωρισμένῃ τινὶ περιγραφῇ θεωρούμενον*, apud JOACHIMUM CAMERARIUM *de Græcis latinisque Numerorum Notis*.

τριὰς

ὀγδοὰς

Euclides.

ἑξὰς

Joachim. Camerarius.

THEO-

THEOREMA II.

In Monadibus nulla locum habet extensio.

Principia Philosophiæ §. 3.

Demonstratio.

Monadum extensio nulla.

IN Monadibus nullæ dantur partes absolutè, *per def. 85. & 86.* & proinde etiam in Monades non cadit continuitas partium coëxistentium, *per def. 50.* consequenter nec perceptio ejusdem, *per ax. 1.* Sed extensio est perceptio continuitatis in partibus diversis coëxistentibus, *per def. 199.* Ergò in Monadibus nulla locum habet extensio. Q.E.D.

THEOREMA III.

In Monadibus nulla locum habet figura.

Demonstratio.

3. Monadum nulla figura.

UBi nulla locum habet perceptio continuitatis in partibus diversis coëxistentibus, ibi nec locum habet perceptio terminorum continuitatis in partibus coëxistentibus, *per ax. 1.* adeoque in Monadibus locum non habet perceptio terminorum continuitatis in partibus coëxistentibus, *per theor. 2.* Quamobrem in Monadibus nulla locum habet figura, *per def. 200.* Q.E.D.

THEOREMA IV.

In Monadibus nulla locum habet divisibilitas.

Demonstratio.

3. Monadum nulla divisibilitas.

IN Monadibus nullæ prorsus dantur partes, *per def. 85. & 86.* adeoque nec aptitudo admittendi partium à se invicem separationem, *per ax. 1.* Quamobrem in Monadibus nulla locum habet divisibilitas, *per def. 193.* Q.E.D.

THEOREMA V.

Monades sunt veræ Atomi naturæ.

Demonstratio.

3. Atomi naturæ quæ?

IN Monadibus nullæ prorsus dantur partes, *per def. 85. &*

 86. adeo-

86. adeoque nec ſucceſſivè parti uni poſt alteram impetus communicari poteſt, *per ax. 1.* Sed omnis directio motus & gradus celeritatis in motu ab impetu corporis moti, corpori alteri per partes communicato, producitur, *per experientiam.* Ergo Monades per ſe moveri non poſſunt. Sed quæ per ſe moveri non poſſunt, illa nec à ſe invicem per motum ſeparari poſſunt, *per ax.* 1. Quamobrem Monades ſunt Entia, quæ natura per motum à ſe invicem ſeparare non poteſt, & proinde ſunt Entia, in quæ natura compoſita per motum dividere non poteſt. Ergo Monades ſunt veræ Atomi naturæ, *per def.* 192. Q. E. D.

Scholion I. Experimenta recentiorum Phyſicorum ipſam etiam Imaginationem convincunt, quod *natura Materiam IN INFINITUM ſubdividat*, h. e. in tot partes, ut poſſibile non ſit, determinare numerum partium, in quamlibet partem materiæ datam ingredientium. Conferantur quæ habet CHRISTIANUS WOLFIUS *in Inſtitut. Phyſicis Part. I. cap. I. §. III. p. 3. ſeqq. & §. V. p. 19. ſeq.* Sed partes omnes in qualibet parte minima materiæ non ſunt niſi compoſita, & proinde eſſe non poſſunt veræ Atomi naturæ.

Chriſt. Wolfius.

Minima naturæ vel prima vel ſecunda.

Scholion II. Quidam *Minima naturæ* in *prima* & *ſecunda* ſubdividunt: *prima* vocantes illas materiæ particulas, quæ determinatâ figurâ gaudent & omnem prorſus ſenſum ſubtilitate ſua fugiunt: *ſecunda* autem illas materiæ particulas, quæ ex primorum combinatione oriuntur, & ſeparata quidem Senſoria non afficiunt, in corporibus tamen magis concretis, v. gr. terrâ, aquâ, ſale, ſulphure, diverſo ſub ſchemate id præſtant. Oſtendit JO. BOHNIUS in Diſſertat. Chymico-Phyſicis *Diſſert. I. §. XXI.* Chymiam in Analyſi corporum non progredi ultra *Minima ſecunda.*

Jo. Bohnius.

Principia Philoſophiæ §. 3.

Elementa rerum quænam?

THEOREMA VI.

Elementa rerum non ſunt niſi Monades.

Demonſtratio.

Ex Elementis, quæ in partes compoſiti actu ingrediuntur, intelligi poteſt, cur partes in compoſito ita potius, quàm

quàm aliter exiſtant, *per def. 171.* In exiſtentia igitur Elementorum datur ratio ultima exiſtentiæ partium in compoſitis, *per def. 15.* Sed in exiſtentia Monadum datur ratio ultima exiſtentiæ partium in compoſitis, *per theor.* 1. conſequenter & Mundi, qui non eſt, niſi aggregatum omnium ſimplicium & compoſitorum, ſecundum locum & tempus inter ſe connexorum, *per def. 222.* Ergo Elementa etiam rerum non ſunt niſi Monades. Q. E. D.

Scholion I. LEIBNITIUS Epiſtol. V. ad SAM. CLARKE, §. XXIV. *Tom. I. du Recueil de diverſes Pieces ſur la philoſophie p. 94.* Il n'y a rien de ſimple, ſelon moi, que les veritables ,, *Monades*, qui n'ont point de Parties ni d'Etenduë. Les corps ,, ſimples, & même les parfaitement ſimilaires, ſont une ſuite ,, de la fauſſe poſition du Vuide & des Atomes, ou d'ailleurs ,, *de la Philoſophie pareſſeuſe*, qui ne pouſſe pas aſſez l'analyſe ,, des choſes & s'imagine de pouvoir parvenir aux *premiers. Elemens corporels de la nature :* parce que cela contenteroit nôtre Imagination. ,,

God. Guil. Leibnitius.

Philoſophia Pigrorum.

Scholion II. IDEM in Epiſtolâ, Berolino VI. Febr. cIↄ Iↄccvii. ad me datâ: CARTESII *Materia triplicis elementi* eſt contra ,, principium rationis ſufficientis. Neque enim datur ratio ſufficiens materiam continuam dividendi in partes hujus potius, ,, quàm alterius magnitudinis. ,,

R. Carteſius.

THEOREMA VII.

Atomi molis non ſunt Elementa rerum.

Atomorum molis impoſſibilitas.

Demonſtratio.

Cùm Atomi molis ſupponantur eſſe partes materiæ, determinatam agnoſcentes magnitudinem atque figuram, & eſſe tamen ſimul indiviſibiles, *per def. 201.* patet, de Atomo molis partes diverſas, quarum pars A non eſt pars B, ſimul affirmari; dum eadem ponitur agnoſcere determinatam ſuam magnitudinem & figuram, *per def. 38. 52. & 200*; & ſimul negari; dum eadem aſſumitur eſſe indiviſibilis, *per def. 193.* ſive (quod eodem recidit) dum affirmatur,

matur, partes ejusdem constituere unicam simplicem entitatem, vel continuum unicum absolutè, vel solidum unicum impenetrabile; adeoque Atomum molis involvere contradictionem, *per def. 1.* Sed quicquid involvit contradictionem, illud absolutè est impossibile, *per def. 3.* & proinde Non-Ens, *per def. 10.* Quamobrem Atomus molis est Non-Ens. Sed Non-Ens non potest ingredi in partes compositorum, consequenter nec ex illo intelligi potest, cur partes ita potius, quàm aliter existant, *per ax. 1.* Ergò Atomi molis non sunt Elementa monadatorum, *per def. 171.* consequenter nec rerum, *per def. 222.* Q. E. D.

God. Guil. Leibnitius.

Scholion I. LEIBNITIUS in Epistolâ, Hanoverâ XXIII. Junii cIↃ IↃCCVII. ad me datâ: „ Etsi existentia Atomi molis non foret „ contrà divinam potentiam, foret tamen contra divinam sapien- „ tiam. Non enim datur ratio sufficiens, DEUM determinans „ ad subdividendum e. gr. globum terræ, & non subdividendi „ Acarum. Ultimum in natura rerum non datur, quia nulla „ datur ratio terminandi. Ut acarus ad globum terræ, ita hic ad alium majorem. „

Democritus. Hippocrates.

Scholion II. Ægrè credo DEMOCRITUM, ἄνδρα σοφώτατον, σωφρονίζειν ἀνθρώπους μοῦνον δυνατώτατον, judice HIPPOCRATE in Epistolâ ad DAMAGETUM *Oper. Tom. I. p. 25. ed. Paris. in fol.* Atomis suis figuram & magnitudinem determinatam assignâsse, & simul tamen easdem pro absolutè indivisibilibus habuisse.

Thom. Campanella.

Placent, quæ apud THOMAM CAMPANELLAM, cujus communicationem, uti aliorum plurimorum rariorum Auctorum, quibus Bibliothecam suam instruxit, debeo

Zach. Conr. ab Uffenbach.

Generoso & Amplissimo Viro Dom. D. ZACHARIAE CONRADO AB UFFENBACH Reipublicæ Mœno-Francofurtensis Senatori gravissimo, Fautori & Amico honoratissimo, in quæstionibus Physiologicis in Appendice ad quæst. VII. *Tom. II. Oper. p. 35.* lego:

Leucippus. Epicurus.

„ LEUCIPPUS inventor atomorum, ex quibus omnia componit, ipsumque secuti DEMOCRITUS & „ EPICURUS Atoma dixerunt *propterea* indivisibilia, *quoniam* „ *nos non possumus ea dividere*, sed tamen dedere illis figuras rotundas, & aculeatas & angulosas, ergo Partes. „

Scho-

Scholion III. Addo ex F. BERNIER Abregé de la Philoſophie de GASSENDI ſequentem Atomorum EPICURI deſcriptionem : *F. Bernier.* *Atomi Epicuri.*
„ Il faut remarquer qu'on ne dit pas *Atome*, parceque ce ſoit un
„ corps, qui n'ait ni parties, ni grandeur, en ſorte que ce ne
„ ſoit qu'un poinct mathematique, ou parce qu'il ſoit d'une
„ petiteſſe extreme, & par conſequent une portion de matiere ſi
„ petite, qu'il ne s'en puiſſe point donner de plus petite; mais
„ parce qu'il eſt tellement ſolide, dur & compacte, qu'il ne
„ donne aucune priſe ſur luy, & qu'il ne peut eſtre ni diviſé, ni
„ coupè, ni aucunement endommagé: PHILOPONUS s'en *Philoponus.*
„ eſt clairement expliqué. *LEUCIPPE*, dit-il, *DEMOCRITE &*
„ *EPICURE ont veritablement cru les atomes inviſibles, à cauſe*
„ *de leur petiteſſe, mais indiviſibles à cauſe de leur ſolidité.*
„ PLUTARQUE; & quelques autres en diſent presque autant. *Plutarchus.*
„ *L'on dit Atome, c'eſt à dire grandeur indiviſible, ou inſécable, & in-*
„ *capable d'eſtre percée, plieé, rompue, non parce qu'il ſoit de la der-*
„ *niere petiteſſe comme un poinct, ou tellement petit, qu'il ne ſoit poſſible*
„ *de l'attendre, & de le diviſer, mais parce qu'il eſt ſolide &*
„ *ſans vuide.* Auſſi eſt ce pour cela, qu'on definit l'*ATOME*
„ *une certaine nature pleine, ou ſans aucun vuide, & par conſe-*
„ *quent ſolide & indiviſible;* comme ſi une maſſe corporelle
„ n'eſtoit diviſible & diſſoluble, que parce qu'elle a les petits vui-
„ des, qui en interrompent la liaiſon, & la continuité, & qui
„ donnent entrée à quelque corps etranger, qui ecarte & ſepare
„ ſes parties les unes des autres. C'eſt ce que LUCRECE en- *Lucretius.*
„ tend lorsqu'il enſeigne, que les premiers Principes ne peuvent
„ eſtre ni briſez par le choc des corps etrangers, ni pliez, ni rom-
„ pus, ni fendus par la moitié, ni couppez en deux, ni enfin
„ penetrez par la chaleur, on par l'humidité, parce que cela ne
„ ſe peut faire ſans vuide:

Hæc nec diſſolvi plagis extrinſecus icta
Poſſunt, nec porrò penitus penetrata retexi,
Nec ratione poſſunt alia tentata labare:
Nam neque conlidi ſine Inani poſſe videtur
Quidquam, nec frangi, nec findi in bina ſecando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur.

Tomo

Tomo II. Lib. I. cap. X. p. 109. seqq. De Proprietatibus & motu atomorum conferantur *cap. XI. XII. XIII. p. 144-170. incl.*

Magnitudo Atomorum molis determinata nulla est.

Scholion IV. Magnitudo Atomi determinata existit sine ratione sufficiente, *contrà ax. 2.* & consequenter Atomi molis fundantur in confusâ, quam, mediante Imaginatione, de rerum elementis acquirimus, Ideâ. Sed, εἰλικρινὲς οὐδὲν esse τῶν ἐν αἰσθήσει, jam agnovit PHILO de Mundi Opificio, *Operum pag. 5.* & Elementa ipsa materiæ ad τὸ βάθος divinæ magnitudinis pertinent. Conferatur etiam de Philosophiâ DEMOCRITI RENATUS DES-CARTES in Principiis Philosophiæ *Part. IV. art. 202. p. 219.* qui principiis suis convenienter contrà HENR. MORUM asserit, ne virtute quidem divinâ fieri posse, ut dentur Atomi, *suâ naturâ indivisibiles*, quas dividendi facultatem DEUS sibi ipsi ademerit. *Part. I. Ep. LXVI. p. 180. ep. LXVII. p. 186.* Addatur infrà Theorema CV.

Philo. *Renatus des-Cartes.* *Henr. Morus.*

Principia Philosophiæ §. 4.

THEOREMA VIII.

Monades naturaliter interire non possunt.

Demonstratio.

IN Monadibus nulla locum habet divisibilitas, *per theor. 4.* adeoque in Monadibus nulla locum habet successiva partium à se invicem, mediante motu, separatio, *per def. 193.* Quicquid autem finiri non potest per partes, in illius interitu nihil omninò præcedit, ex quo ratio reddi possit ejus, quod sequitur, *per ax. 1.* consequenter in illo modus, quo existentia ejus desinere possit, non potest intelligi & explicari per modum dissolutionis partium successivæ. Ergo Monades naturaliter interire non possunt, *per def. 219.* Q. E. D.

Perdurans Monadum. Indestructibilitas Monadum. Immortalitas Animæ rationalis.

Coroll. Datur in Monadibus subjectum individuum & absolutum omnium determinationum, quarum Monas per essentiam suam capax est, hoc est, *Perdurans*, *per def. 62.*

Scholion. In hoc Theoremate fundatur *Indestructibilitas Monadum* in genere, & in specie *Immortalitas Animæ rationalis.*

THEO-

THEOREMA IX.

Principia Philosophiæ §. 5.

Ortus Monadum.

Monades naturaliter oriri non possunt.

Demonstratio.

UBi nullæ prorsus dantur partes, ibi nulla locum habet partium compositio, *per ax. 1.* & proinde existentia Monadum incipere non potest per successivam partium compositionem, *per def. 85. & 86.* Quare nihil in ortu Monadum præcedit, ex quo ratio reddi possit ejus, quod sequitur, adeoque ortus Monadum intelligi & explicari non potest per modum compositionis partium successivæ. Ergo Monades naturaliter oriri non possunt, *per def. 218.* Q. E. D.

Impossibilitas ortûs monadum ex monadibus.

Scholion I. Cùm species sit ortûs naturalis, si Monades per divisionem ex Monadibus oriri ponantur: patet in hoc Theoremate fundari IMPOSSIBILITATEM ORTUS MONADUM, & in specie ANIMARUM RATIONALIUM EX DEI ESSENTIA.

Animæ rationalis ex Dei essentia.

Scholion II. Cum grano Salis accipiendæ sunt Veterum loquendi formulæ, quod animæ humanæ sint *particulæ divinæ auræ.* LEIBNITIUS, in Epistolâ, Hanoverâ XXV. Julii cIɔ Iɔccvi. ad me datâ: Non aliter intelligi potest, animam esse ex DEO, „ nisi DEUM & Animam corporea fingas. Sed talis de DEO at- „ que Animâ notio aliunde absurda est. „

G. G. Leibnitius.

THEOREMA X.

Principia Philosophiæ §. 6.

Ortus Monadum per creationem.

Monades incipere non possunt, nisi per creationem.

Demonstratio.

MOnades non possunt oriri naturaliter, *per theor. 9.* adeoque, si oriuntur, oriuntur in instanti, *per ax. 1.* hoc est, incipiunt existere in instanti, cùm antea non existerent. Sed quicquid, anteà non existens, incipit existere in instanti, ad illius existentiam exhibendam nihil præter causam efficientem requiritur, in quâ ratio sufficiens contineatur, cur ex possibili fiat actuale, consequenter illud incipere non

 potest,

poteſt, niſi per creationem, *per def. 229.* Quamobrem nec Monades incipere poſſunt, niſi per creationem. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 6. Interitus Monadum per annihilationem.

THEOREMA XI.

Monades finiri non poſſunt, niſi per annihilationem.

Demonſtratio.

MOnades naturaliter interire non poſſunt, *per theor. 8.* adeoque, ſi exiſtere deſinunt, id fit in inſtanti, *per ax. 1.* Sed quicquid finitur in inſtanti, illud finitur per annihilationem, *per def. 231.* Ergo Monades finiri non poſſunt, niſi per annihilationem. Q. E. D.

THEOREMA XII.

Partes compoſitorum non abſolutè neceſſario occupant locum ſuum.

Demonſtratio.

PArtes in compoſito, à loco, quem occupant, non differunt, niſi ut id, quod aliis coëxiſtit, à modo, quo iisdem coëxiſtit, *per cor. 2. def. 61.* & proinde, partes in compoſito, ſalvâ eſſentiâ ſuâ, illo modo cum reliquis coëxiſtere, quo aliæ coëxiſtunt cum iisdem, in ſe nullam involvit contradictionem, *per cor. 5. def. 61.* Ergo partes in compoſito non occupare locum, quem occupant, non eſt abſolutè impoſſibile, *per def. 3.* & conſequenter partes compoſitorum non abſolutè neceſſariò occupant locum ſuum, *per def. 24.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 6. Ortus Compoſitorum naturalis.

THEOREMA XIII.

Compoſita incipiunt exiſtere ſine creatione.

Demonſtratio.

ESſentia compoſitorum conſiſtit in compoſitione, *per def. 49.* & illorum nulla pars abſolutè neceſſariò occupat

pat

pat locum ſuum, *per theor. 12.* Quamobrem partibus in compoſito non repugnat ſucceſſio, *per ax. 1.* & proinde ratio ſufficiens, cur hæ potius partes in compoſitione ſuccedant, quàm aliæ quæcunque, datur in partibus præcedentibus, *per ax. 2.* Modus igitur, quo compoſita oriuntur, intelligi & explicari poteſt per compoſitionem partium ſucceſſivam. At, quorum modus, quo oriuntur, per ſucceſſivam partium illarum, à quarum compoſitione pendet poſſibilitas ipſius compoſiti, compoſitionem intelligi & explicari poteſt: illa oriuntur naturaliter, *per def. 218.* Ergo compoſita oriuntur naturaliter, & proinde non oriuntur in inſtanti, *per ax. 1.* Sed quæ non incipiunt exiſtere in inſtanti, illorum initium exiſtendi non agnoſcit rationem ultimam in actione externâ DEI, *per ax. 1.* Ergò Compoſita incipiunt exiſtere ſine creatione, *per def. 229* Q. E. D.

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur Poſſibilitas geneſeos corporum, conſequenter POSSIBILITAS SCIENTIÆ, quam PHYSICAM vocamus. Poſſibilitas Phyſicæ.

Scholion II. Memini LEIBNITIUM ad Scientiam Phyſicam promovendam deſiderâſſe accuratam & ſcientificam Artium Mechanicarum tractationem. Cùm enim Eſſentia Corporis, in compoſitione longè ſubtiliſſimarum materiæ partium conſiſtat, patet, quantum ad Scientiam corporum conferat inquiſitio tum principiorum Artium Mechanicarum omnium, tum inprimis ARTIS TEXTORIÆ & HOROLOGIORUM. Memini etiam, me ex PHILOSOPHO didiciſſe, PRINCIPIA ARTIS TEXTORIÆ JOACHIMUM JUNGIUM, Profeſſorem quondam Hamburgenſem meditatum eſſe, pleraque autem excellentis hujus Philoſophi Manuſcripta eſſe combuſta. *G. G. Leibnitius.* Principia Artis textoriæ. *Joachimus Jungius.*

THEOREMA XIV.

Compoſita finiuntur ſine annihilatione.

Principia Philoſophiæ §. 6. Interitus Compoſitorum naturalis.

Demonſtratio.

QUoniam in compoſita cadit partium ſucceſſio, *per theor. 13.* ratio ſufficiens, cur hæ potius partes in diſſolu-

 tione

tione ſuccedant, quàm aliæ quæcunque, datur in partibus præcedentibus, *per ax.* 2. & proinde modus, quo exiſtentia compoſitorum deſinit, intelligi & explicari poteſt per ſucceſſivam partium diſſolutionem. Sed quorum modus, quo finiuntur, per diſſolutionem ſucceſſivam partium illarum, à quarum compoſitione poſſibilitas ipſius compoſiti pendet, intelligi & explicari poteſt, illa naturaliter intereunt, *per def.* 219. & proinde non intereunt in inſtanti, *per ax.* 1. Ergo Compoſita non finiuntur in inſtanti. Quæ autem non intereunt in inſtanti, illorum finis exiſtendi non agnoſcit rationem ultimam in actione externâ DEI, *per ax,* 1. Ergo Compoſita finiuntur ſine annihilatione, *per def.* 231. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ. §. 7. Monadum influxus phyſicus in ſe invicem impoſſibilis.

THEOREMA XV.

Nulla Monas derivativa phyſicè influere poteſt in interius alterius Monadis derivativæ.

Demonſtratio.

QUandoquidem Monades omnibus prorſus partibus carent, *per def.* 85. & 86. in monadibus etiam derivativis nullæ partes continuo mutare poſſunt locum ſuum, *per ax.* 1. Sed ſi in monadibus derivativis nihil prorſus datur, quod locum ſuum continuò mutare poſſit, nec intelligibili modo explicari poteſt, quomodo in interiori Monadum derivativarum motus ullus excitari, dirigi, augmentari aut diminui poſſit, *per def.* 177. conſequenter nulla in iisdem fieri poteſt per motum internum mutatio, *per def.* 173. Sed in cujus interiori nulla, mediante motu interno, fieri poteſt mutatio, in illius interius etiam nihil phyſicè influere poteſt, *per def.* 196. Quamobrem nulla omninò Monas derivativa in interius alterius Monadis derivativæ phyſicè influere poteſt. Q. E. D.

Scho-

Scholion. In hoc Theoremate fundatur MONADUM DERIVATIVARUM αὐτάρκεια sive SUFFICIENTIA, vi cujus in agendo à nullo alio Ente creato dependent. Fundatur adeò in hoc ipso Theoremate non modò HARMONIA ANIMÆ ET CORPORIS HUMANI, sed & HARMONIA REGNI CAUSARUM EFFICIENTIUM ET REGNI CAUSARUM FINALIUM, HARMONIA REGNI NATURÆ & REGNI GRATIÆ, & ipsa tandem HARMONIA RERUM UNIVERSALIS, quâ de acutissimum philosophum, Academiæ Scientiarum Petropolitanæ Sodalem, & Logices, Metaphysices & Moralium Professorem Ordinarium præclarè merentem, GEORGIUM BERNHARDUM BüLFFINGERUM, Amicum & Fautorem honoratissimum, peculiarem meditari tractationem, intellexi, cui partui Lucinam propitiam rerum intelligentes mecum ex animo apprecabuntur.

Αὐτάρκεια sive sufficientia monadum creatarum. Harmonia Animæ & corporis. Harmonia Regni causarum efficientium & Regni causarum finalium. Harmonia Regni naturæ & Regni gratiæ. Harmonia Rerum universalis. *G.B. Bülffingerus Principia Philosophiæ §. 7.*

THEOREMA XVI.

In Monadem creatam forinsecus nec Substantia nec Accidens intrare possunt.

Demonstratio.

CUm nihil in interius Monadis creatæ physicè influere possit, *per theor. 15.* nihil etiam in eandem ab extrà ingredi potest, *per ax.* 1. At, si nihil in Monadem creatam ab extrà ingredi potest, nec substantia nec accidens *per def. 75. & 81.* in Monadem creatam forinsecus intrare possunt, *per ax.* 1. Q. E. D.

Scholion. In hoc Theoremate fundatur IMPOSSIBILITAS SPECIERUM SENSIBILIUM SCHOLASTICORUM, de quibus optimè judicat F. BERNIER, Abregé de la Philosophie de GASSENDI *Tom. III. Lib. I. cap. XVI. p. 289. seq.* Quelques Ari- ,,
stoteliciens depuis quelques années se sont avisez de soutenir, ,,
que les images, ou comme ils disent d' ordinaire, *les especes in-* ,,
tentionelles & visuelles sont de purs accidens, qui n' ont, ni ne ,,
portent avec eux rien de substantiel, & qui cependant sortant ,,
des corps visibles par eduction & par propagation, passent par ,,

Species sensibiles Scholasticorum. *F. Bernier.*

 le, ,

„ le milieu, affectent l' organe de la veüe, & le meuvent, sont „ reflectives des Miroirs, sont tout-entieres dans tout le milieu „ & dans chacune des parties, & ainsi du reste. Mais comme „ ARISTOTE n' a jamais songé à cela, & que d' ailleurs la cho- „ se semble estre tout à fait eloignée du sens-commun, comme „ il est visible de ce qui a esté dit tant de l' eduction des formes „ substantielles, que des accidens, & nommement de la lumiere „ ce seroit perdre le temps que de s' y arrester.

Aristoteles.

THEOREMA XVII.

Principia Philosophiæ §. 7. Compositorum motus internus.

In compositis motus internus ab aliis compositis excitari potest.

Demonstratio.

CUm composita constent suis partibus, determinato modo inter se combinatis, *per def. 48.* pars una post alteram ab extrà impetum recipere potest, *per ax. 1.* Sed ab impetu, partibus compositi ab aliis partibus, ab extrà determinatis, successivè communicato, producitur mutatio loci partium in composito, *per Experientiam*: & proinde intelligibili modo explicari potest, quomodo partes compositi locum suum continuò mutare possint. Ergo in compositis motus internus ab aliis compositis excitari potest, *per def. 177.* Q. E. D.

THEOREMA XVIII.

Principia Philosophiæ §. 8. Monadum qualitates.

Monades derivativæ certis quibusdam qualitatibus sunt præditæ.

Demonstratio.

COmposita existunt alterum extrà alterum *per Experientiam*; Ratio autem sufficiens existentiæ compositorum extra se invicem est in monadibus, in composita actu ingredientibus, *per theor. 6.* & proinde etiam Monas una existit extrà alteram, *per ax. 1.* Sed quæ extrà se invicem existunt, illa non sunt eadem, *per cor. def. 35.* consequ.

ſequ. in illis intrinſecæ determinationes non ſunt eædem, ſed quædam dantur, quibus à ſe invicem diſtingui poſſunt, *per ax. 1.* Ergo in Monadibus derivativis quædam dantur determinationes intrinſecæ, quibus à ſe invicem diſtingui poſſunt. At in quibus quædam dantur determinationes intrinſecæ, quibus inter ſe diſtingui poſſunt, illa certis quibusdam qualitatibus ſunt prædita, *per def. 42.* Quamobrem Monades etiam derivativæ certis quibusdam qualitatibus ſunt præditæ. Q. E. D.

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur DIFFERENTIA MONADUM CREATARUM A PUNCTIS GEOMETRICIS; PUNCTI enim GEOMETRICI Idea obtinetur, ſi ab Idea Monadis realis abſtrahatur ſola partium carentia, & ſeorſim à reliquis qualitatibus conſideretur. Hinc manifeſtum eſt, Punctum unum ab alio non eſſe diverſum, niſi ſolo numero, *per def. 46.* conſequenter nec unum exiſtere poſſe extrà alterum, *per cor. def. 35.* adeoque ex Punctis Geometricis nullum componi poſſe continuum, *per def. 50.* Extat de Puncto hocce peculiaris Liber HENRICI MONANTHOLII.

Differentia Monadum creatarum à Punctis. Punctum Geometricum.

Henricus Monantholius.

Scholion II. Etſi autem PUNCTUM GEOMETRICUM, nec exiſtit in rerum univerſitate, *per Schol. 1.* nec moveri poteſt, *per ax. 1.* & proinde hypotheſis Geometrarum *DE FLUXU PUNCTI,* non niſi fictio eſt imaginationis: in Geometriâ tamen hæc hypotheſis imaginaria utilis eſt, quatenus ex illâ Magnitudinis continuæ geneſis & proprietates intelligi & explicari poſſunt. Sicut in Calculo differentiali, cujus PHILOSOPHUS noſter inventor eſt, τὸ *infinitè parvum* non eſt niſi fictio. Neque enim datur tempus infinitè parvum, in quo momentaneum incrementum magnitudinis finitæ per fluxum elementi ejusdem generari debeat, conſeq. illud reſpectu magnitudinis finitæ haberi pro nihilo poteſt, cujus additio & ſubtractio nec auget nec minuit magnitudinem finitam, & cum eâdem comparari nequit.

Infinitè parvum.

THEO-

Principia Philosophiæ §. 9. Monadum Dissimilitudo.

THEOREMA XIX.

Nulla Monas creata in rerum universitate alteri Monadi creatæ per omnia similis existit.

Demonstratio.

EXperimur in compositis variationes, consequenter in motu id, quod substituitur, non æquivalet ei, cui substituitur, *per def. 63.* Sed ratio sufficiens, cur statûs compositorum diversi temporis inter se sunt discernibiles, & cur in substitutione compositorum non omnia retinent, sicut fuerant ante substitutionem, datur in Monadibus, actu in composita ingredientibus, *per theor. 6.* & proinde Monades creatæ inter se diversæ sunt, *per def 35. & ax. 1.* Jam Monades creatæ partibus absolutè carent, *per def. 85. & 86.* adeoque non nisi intrinsecis determinationibus à se invicem distingui possunt, *per def. 41. & 37.* Sed quæ solis differunt determinationibus intrinsecis, solis qualitatibus differunt, *per def. 42.* & proinde in illis non omnes qualitates se eodem modo habent, *per def. 35. & ax. 1.* At talia non existunt per omnia similia, *per def. 43. & 44.* Ergò nulla Monas creata in rerum universitate alteri Monadi creatæ per omnia similis existit. Q. E. D.

Principia Identitatis indiscernibilium. Impossibilitas Continui ejusdem speciei. Magnitudinis geometricæ, Spatii & Temporis absoluti. Motûs uniformis.

Scholion I. Hoc Theorema à Philosopho dicitur *Principium Identitatis indiscernibilium, per def. 46.* & in illo fundatur IMPOSSIBILITAS CONTINUI EJUSDEM SPECIEI, quod etiam à posteriori observationes Microscopicæ demonstrant. Magnitudo igitur Geometrica, Spatium & Tempus absoluta, & Motus uniformis non sunt nisi fictiones Imaginationis.

G. G. Leibnitius. G. B. Bülffingerus. Christian. Wolfius.

Scholion II. Conferatur de eodem LEIBNITIUS Epistolâ ad CLARKIUM §. V. VI. *Tom. I. du Recueil. p. 50.* Epistol. V. §. XXVI, XXVII, XXVIII, *p. 94. 95.* item Replique aux Reflex. de M. BAYLE *Tom. II. du Rec. p. 418.* BüLFFINGER. in Dilucid. *philos. p. 87.* Supponit autem in DEO non solam potentiam, sed simul sapientiam infinitam. WOLFIUS in Annotat. *Metaph. p. 323.*

THEO-

THEOREMA XX.

Principia Philosophia. §. 9.

Nullum compositum in Universo creaturarum alteri composito per omnia simile existit.

Compositorum dissimilitudo.

Demonstratio.

COmposita omnia rationem sufficientem, cur unum alteri per omnia simile potius existat, quàm non existat, agnoscunt in elementis, quæ actu in illa ingrediuntur per omnia similibus, *per theor. 6.* & proinde nullum compositum in universo creaturarum alteri composito per omnia simile existit, non existentibus illius elementis alterius elementis per omnia similibus, *per ax.* 1. Jam verò nullum elementum alteri elemento per omnia simile existit, *per theor.* 19. Ergò Nullum etiam compositum in universo creaturarum alteri composito per omnia simile existit. Q. E. D.

Scholion I. Experientia etiam veritatem hujus Theorematis confirmat, quâ de hæc habet LEIBNITIUS in Epist. IV. ad CLARKIUM §. IV. *Tom. I. Rec. p. 50.* Il n' y a point *deux Individus* ,, *indiscernables.* Un Gentil-homme d' esprit de mes amis, en par- ,, lant avec moi en presence de Madame l' Electrice dans le jar- ,, din de Herrenhausen, crut qu'il trouveroit bien deux feuilles ,, entierement semblables. Madame l' Electrice l' en défia, & il ,, courut long-tems en vain pour en chercher. Deux gouttes ,, d' eau, on de lait, regardées par le microscope, se trouveront ,, discernables. ,,

G. G. Leibnitius.

Scholion II. Aliam de Compositorum dissimilitudine demonstrationem dedit Acutissimus Philosophus CHRISTIANUS WOLFIUS Metaph. §. DLXXXVII.

Chr. Wolfius.

Scholion III. In hoc Theoremate fundatur *Infinita rerum in Universo Varietas.* WOLFIUS *loc. cit. §. DXCI.*

Infinita rerum Universo varietas.

THEOREMA XXI.

Omne Ens creatum est finitum.

Entis creati finitudo.

Demonstratio.

ENs creatum rationem sufficientem essentiæ & existentiæ suæ agnoscit in alio ente existente, *per def. 20.* & proin-

de eſſentia entis creati non involvit exiſtentiam, *per ax.* 1. Quamobrem Entis creati non-exiſtentia manet abſolutè poſſibilis, adeoque Ens creatum exiſtit contingenter, *per def.* 21. Sed quod contingenter exiſtit, illud non exiſtit abſolutè & ſimpliciter, adeoque in exiſtendo limites admittit *per ax.* 1. Ens igitur creatum in exiſtendo eſt limitatum. Quamobrem etiam modus, quo Ens creatum poſſibile eſt, limitum capax eſt, *per cor.* 2. *def.* 13. adeoque Ens creatum capax non eſt eſſentiæ illimitatæ, *per cor. def.* 12. At Ens omne, quod non eſt capax eſſentiæ ſine limitibus, eſt finitum, *per def.* 71. Ergo Omne Ens creatum eſt finitum. Q. E. D.

Coroll. Omnis Monas creata eſt ens finitum, *per cor. def.* 88.

Principia Philoſophiæ §. 10. Entis creati mutabilitas.

THEOREMA XXII.

Omne Ens creatum mutationi eſt obnoxium.

Demonſtratio.

ENs creatum eſt finitum, *per theor.* 21. adeoque non eſt id omne, quod eſſe poteſt, ſimul, *per Schol. def.* 71. Quamobrem perdurans in Ente creato admittit ſubſtitutionem ſucceſſivam diverſarum determinationum, quarum poſteriore ſuccedente, non manet prior *per ax.* 1. adeoque variationem Perdurantis, *per def.* 63. Sed quod admittit variationem perdurantis ſive reſtrictionem ſubjecti abſoluti & in determinati ſucceſſivam, illud mutationi eſt obnoxium, *per def.* 64. Ergo omne Ens creatum mutationi eſt obnoxium Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 10. Monadum mutabilitas.

Coroll. Omnes Monades creatæ ſive derivativæ mutationibus ſunt obnoxiæ, *per cor. def.* 88.

Principia Philoſophiæ. §. 10. & 21. Monadum mutationes continuæ.

THEOREMA XXIII.

Mutationes Monadum derivativarum naturaliter continuæ ſunt.

Demonſtratio.

MOnades derivativæ ſunt Entia ſimplicia, *per def.* 85. & 86. quæ naturaliter interire non poſſunt, *per theor.* 8.

&

& in quorum interius nullum Ens creatum physice influere potest, *per theor. 15.* quæ tamen mutationibus obnoxia sunt, *per cor. theor. 22.* adeoque non nisi determinationes intrinsecas in subjecto individuo admittunt, *per def. 72.* per diversorum graduum possibilium, qui successivè fiunt actuales, dum, succedente posteriore, transit prior, *per def. 89. 91. 92.* substitutionem talem, quæ rationem sufficientem existentiæ suæ in solâ essentiâ Monadis derivativæ agnoscit, *per ax.* 1. Mutationes igitur monadum derivativarum nullum Ens creatum impedire potest, *per def. 92.* Sed cùm eædem etiam in essentiâ solâ Monadum derivativarum rationem sufficientem existentiæ suæ simul agnoscere & non agnoscere non possint, *per ax. 1.* illas nec ipsæ monades impedire possunt. Jam quicquid nec ab ullo ente creato, nec ab ipsis monadibus derivativis impediri potest, illud naturaliter continuum est, *per def. 50.* Ergo Mutationes Monadum derivativarum naturaliter continuæ sunt. Q. E. D.

THEOREMA XXIV.

Principia Philosophiæ §. 11. Mutationum in Monadibus principium.

Mutationes Monadum derivativarum à principio interno proficiscuntur.

Demonstratio.

IN Monades derivativas nihil physicè influere potest, *per theor. 15.* & proinde mutationes, quæ in ipsis continuæ sunt, *per theor. 23.* rationem sufficientem, cur existant potius, quàm non existant, cur hoc potiùs, quàm quocunque alio modo existant, agnoscere non possunt in ullo alio Ente creato, *per ax.* 1. Quamobrem cùm rationem sufficientem, cur hoc potiùs, quàm alio modo contingant, omninò agnoscant, *per ax. 2.* eandem agnoscunt in ipsis Monadibus derivativis, mutationibus obnoxiis, *per ax.* 1. Sed mutationes, quæ rationem sufficientem existentiæ suæ in ipso Ente, quod mutatur, agnoscunt, à princi-

 pio

pio interno proficiſcuntur, *per def. 16.* Ergo mutationes etiam Monadum derivativarum à principio interno proficiſcuntur. Q. E. D.

Coroll. I. Monades derivativæ in genere Spontaneitate ſunt præditæ, *per def. 107.*

Spontaneitas Monadum derivativarum.

Coroll. II. Animæ autem rationales in ſpecie; cum gaudeant etiam facultate ſe ipſas determinandi ex principio interno, *cum conſcientiâ motivorum determinationis*, ad producendam potius mutationem aliquam in ſe ipſis, quàm nonproducendam, ad hanc potius, quàm aliam producendam: ſimul Libertate ſunt præditæ, *per def. 156.*

Libertas Animarum rationalium.

Coroll. III. Animæ rationales in ſenſationibus & phantaſmatis producendis ſe non habent paſſivè, *per def. 115. & 117.*

Principia Philoſophiæ §. 11. Monadum Vis.

THEOREMA XXV.

Omnis Monas derivativa Vi prædita eſt.

Demonſtratio.

MUtationes Monadum derivativarum naturaliter continuæ ſunt, *per theor. 23.* & à principio interno proficiſcuntur, *per theor. 24.* Datur igitur in monadibus derivativis continuus niſus, ſive tendentia quædam continua, adeoque conatus, *per def. 82.* ad producendas omnes mutationes in ſe ipſis, quarum quælibet earum per eſſentiam ſuam capax eſt, *per def. 95.* & proinde conatus talis, qui ſe ad omnem facultatem monadis derivativæ indifferenter habet, & quem ipſa Monas ad hanc vel illam facultatem in actum deducendam determinat, *per ax. 1.* Sed talis conatus eſt Vis, *per def. 83.* Ergo Omnis Monas derivativa Vi prædita eſt, *per def. 96.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 1. & 19. Monades ſubſtantiæ.

THEOREMA XXVI.

Monades derivativæ ſunt ſubſtantiæ.

Demonſtratio.

MOnades derivativæ vi præditæ ſunt, *per theor. 25.* conſequenter principium mutationum ſuarum in ſe continent

tinent, *per cor.* 1. *def.* 96. Sed quicquid mutationum ſuarum principium in ſe continet, principium mutationum in ſe continet, *per ax.* 1. Ergo Monades derivativæ ſunt ſubſtantiæ, *per def.* 74. Q. E. D.

Scholion. PHILOSOPHUS infert definitioni Monadis, quod nos cum Excellentiſſimo Philoſopho CHR. WOLFIO §. CXXVII. *Metaph.* facili negotio de omnibus Entibus ſimplicibus ex principiis Leibnitianis demonſtramus. *G. G. Leibnitius. Chr. Wolfius.*

THEOREMA XXVII.

Principia Philoſophiæ, 12, 13. Schema mutationum in monadibus.

Qualitates, quibus Monades inter ſe differunt, in diverſis mutationum ſchematibus conſiſtunt.

Demonſtratio.

MOnades inter ſe differunt ſolis qualitatibus, *per theor.* 19. & qualitates non ſunt, niſi determinationes intrinſecæ perdurantis monadum *per def.* 42. adeoque gradus ejusdem diverſi, ſibi invicem ſuccedentes, *per def.* 90. Differunt igitur Monades inter ſe ſolis gradibus diverſis. Sed gradûs ſinguli repræſentant multitudinem extrà monadem ſecundùm partem multitudinis diverſam, *per Schol. def.* 92. Ergo qualitates Monadum, quibus illæ inter ſe differunt, in diverſis mutationum ſchematibus conſiſtunt, *per def.* 65. Q. E. D.

Coroll. VARIETAS MONADUM DERIVATIVARUM rationem ſufficientem agnoſcit in diverſo ſingularum mutationum ſchemate. *Principia Philoſophiæ §. 12. Varietas Monadum derivativarum.*

THEOREMA XXVIII.

Principia Philoſophiæ §. 14. Perceptio Monadum derivativarum.

Omnis Monas derivativa perceptione prædita eſt.

Demonſtratio.

CUm mutationes Monadum derivativarum rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſolâ eſſentiâ cujuslibet monadis *per theor.* 23. & præterea diverſum ſchema agno-

 ſcant,

ſcant, *per theor.* 27. illæ non niſi diverſis reſpectibus in ſubjecto individuo repræſentant, tum ſe mutuo, ita ut ex reſpectibus, quos mutatio præſens involvit ad omnes antecedentes & conſequentes mutationes ejusdem Monadis, inveniri poſſint antecedentes, inferendo ab effectibus ad cauſas, & conſequentes, pergendo à cauſis ad effectûs, *per def.* 85. & 86. & *ax.* 1. tum multitudinem extra Monadem poſitam, pro diversâ connexione, quam habet multitudo cum parte illâ multitudinis, ſecundùm quam fit repræſentatio, *per def.* 100. At cujus mutationes hoc modo repræſentant multitudinem, illud eſt perceptione præditum, *per def.* 99. Ergò omnis Monas derivativa perceptione prædita eſt. Q. E. D.

Bayle. Scholion I. Quæ BÆLIUS in Dictionario ſuo *art. Rorarius pag.* 2608. & 2611. *ſeq.* objicit, impoſſibilitatem perceptionis in Monadibus non evincunt. Conf. BüLFFINGERUS in Commentatione Hypothetica de Harmonia Animi & Corporis humani quàm maximè præſtabilita §. CXLVI – CLII. & in Dilucid. Philoſ. Sect. III. cap. IV. §. CCCXLVIII. p. 357. Ipſe PHILOSOPHUS dans ſa Replique *Tom. II. du Recueil. p.* 390. *ſeqq.* 410. 412.

Ge. Bernh. Bülffingerus.

God. Guil. Leibnitius.

Scholion II. Atque hoc eſt Theorema illud, de cujus veritate nihil adhuc determinare audent Viri harum rerum quàm maximè intelligentes, & quorum induſtria hactenus in evolvendis Principiis Leibnitianis ſumma cum laude verſata eſt. Convenit autem ipſis cum PHILOSOPHO in ſequentibus: I. *Monades omnes creatas mutationibus eſſe obnoxias*; II. *Mutationes in ſingulis dari continuas*; III. *Gradus perdurantis in qualibet Monade creatâ eſſe diverſos, non tantùm inter ſe, ſed & reſpectu graduum perdurantis in omnibus reliquis Monadibus*; IV. *Graduum diverſitatem involvere reſpectûs, non tantùm ad gradûs antecedentes & conſequentes omnes in ſingulis monadibus creatis, ſed & ad gradûs perdurantis in reliquis monadibus; ſi non immediatè; tamen mediatè, ſi non ſingulorum, in ſe ſpectatorum, actualis cum omnibus; tamen omnium inter ſeſe & ſingulorum cum omnibus mediata*; V. *Gradum quemlibet involvere multitudinem ſimultaneam in ſimplici; ſed relativam*; VI. *In hâc multiplici relatione, in individuo alicujus Monadis perdurante obviâ, ad multitudinem, extrà Monadem poſitam, intellectum infinitum intueri multitudinem, extrà mona-*

monadem positam, adeoque gradum quemlibet perdurantis in monade creatâ involvere repræsentationem multitudinis externæ, & quia hæc repræsentatio est in perdurante individuo Monadis, tanquam subjecto simplici, etiam MONADEM CREATAM REPRÆSENTARE MULTITUDINEM EXTERNAM. Indeterminatas tantùm relinquunt has quæstiones: I. *An repræsentatio hæc multitudinis externæ in Unitate etiam in Monadibus nudis propriè dici possit Perceptio?* II. *An repræsentatio hæc in Monadibus nudis inferat identitatem status illarum monadum cum statu animæ nostræ in stupore, lethargo & somno profundo?* III. *Annon in Monadibus nudis possit concipi Vis perdurans, nec perceptiva tamen, cujus mutationes non inferant multitudinem partium, sed graduum & relationum externarum tantùm, & tamen à Perceptione propriè sic dictâ, obscurâ etiam & cum nullo actu reflexo conjunctâ, differat essentialiter?* Cæterùm fatentur ingenuè, se nihil tale adhuc invenire potuisse, quod satisfaciat, & *Monades nudas Leibnitianas, perceptione nuda præditas, esse possibiles.* Quod contrà objectiones Bælianas sufficit.

THEOREMA XXIX.

Principia Philosophiæ §. 16. Cogitatio animæ rationalis.

Cogitatio animæ rationalis est Perceptio.

Demonstratio.

Cùm cogitatio sit apperceptio, distinctè repræsentativa eorum, quæ sensationibus vel phantasmatis pluribus singularibus communia sunt, per voces determinatæ significationis, *per def. 125. & cor. 2.* manifestum est, quamlibet cogitationem involvere repræsentationem claram notarum similium, à sensationibus vel phantasmatis singularibus abstractarum, *per ax. 1.* & consequenter omnem cogitationem in animâ rationali involvere multitudinem quandam extrà animam rationalem, in objecto cogitationis existentem, in ipsâ animâ rationali repræsentatam, *per ax. 1.* Sed quod involvit repræsentationem multitudinis externæ in subjecto individuo, est Perceptio, *per def. 99.* Ergo Cogitatio animæ rationalis est Perceptio. Q. E. D.

Scho-

G. G. Leibnitius.

Scholion I. Differt cogitatio à phantaſmate, quòd minus eſt compoſita, qualibet tamen involvit aliquam multitudinem. LEIBNITIUS dans ſa Replique aux Reflexions de Mr. BAYLE *Tom. II. du Recueil p. 408.*

Principia Philoſophiæ §. 15. Appetitus Monadum derivativarum.

THEOREMA XXX.

Nulla perceptio Monadis derivativæ eſt ſine Appetitu.

Demonſtratio.

MUtationes monadum derivativarum non niſi in perceptionibus conſiſtunt, *per theor. 28.* adeoque perceptiones in ſolâ monadum derivativarum eſſentiâ rationem ſufficientem agnoſcunt exiſtentiæ ſuæ, *per theor. 23.* Omnis igitur perceptio Monadis derivativæ conjuncta eſt cum tendentia continua ad producendos omnes gradûs, in perdurante monadis derivativæ poſſibiles, *per theor. 25. & def. 91. 92. 99.* Quamobrem nulla perceptio monadum derivativarum eſt ſine conatu ad novam perceptionem, *per def. 95.* Ergò nulla etiam Perceptio Monadis derivativæ eſt ſine appetitu, *per def. 98.* Q. E. D.

Coroll. Nulla apperceptio eſt ſine appetitu apperceptioni conveniente: ſenſatio ſcil. non eſt ſine appetitu ſenſitivo, & cogitatio non eſt ſine appetitu rationali.

Principia Philoſophiæ §. 15. Lex appetituum in Monadibus derivativis.

THEOREMA XXXI.

Appetitus Monadis creatæ ſemper pervenit ad novam perceptionem.

Demonſtratio.

APpetitus monadis creatæ conſiſtit in conatu ejusdem ad novam perceptionem, *per def. 98.* tali, qui in perceptione præcedenti rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit, *per theor. 30.* & proinde nullus appetitus ab ipsâ Monade, quæ conatu illo prædita ſimul eſſe & non eſſe non

non poteſt, impediri poteſt, *per ax. 1.* Idem etiam ab alio ente creato impedire non poteſt, *per theor. 15.* Ergò Appetitus Monadis creatæ ſemper pervenit ad novam perceptionem. Q. E. D.

Scholion. In Theorematibus XXX. & XXXI. fundatur LEX APPETITUUM, vi cujus omnis ſucceſſio perceptionum & appetituum in eo verſatur, ut vel ex perceptione appetitus, vel ex appetitu oriatur perceptio, & appetitus connectatur cum appetitu, mediante perceptione, quæ ex appetitu præcedenti conſequitur. Ita appetitus finis connectitur cum appetitu mediorum, mediante perceptione connexionis, inter media & finem intercedentis.

THEOREMA XXXII.

Principia Philoſophiæ §. 21. Monas nulla ſine perceptione.

Nulla Monas derivativa ſine omni perceptione ſubſiſtere poteſt.

Demonſtratio.

MUtationes monadum derivativarum naturaliter continuæ ſunt, *per theor. 23.* conſequenter nulla monas derivativa ſine omni mutatione ſubſiſtere poteſt, *per ax. 1.* Sed mutationes monadum derivativarum conſiſtunt in perceptionibus, *per theor. 28.* Ergò etiam nulla monas derivativa ſinè omni perceptione ſubſiſtere poteſt, *per ax. 1.* Q. E. D.

Scholion I. PHILOSOPHUS *Tom. II. du Recueil p. 328.* „J'accorde aux CARTESIENS, que l'Ame penſe toûjours actuellement, mais je n'accorde point qu'elle s'apperçoit de toutes ſes penſées. Car nos grandes perceptions & nos grands appetits, dont nous nous apperçevons, ſont compoſez d'une infinité de petites perceptions, & de petites inclinations, dont on ne ſçauroit s'apperçevoir. Et c'eſt dans les perceptions inſenſibles que ſe trouve la raiſon de ce qui ſe paſſe en nous; comme la raiſon de ce, qui ſe paſſe dans les corps ſenſibles, conſiſte dans les mouvemens inſenſibles.„ *God. Guil. Leibnitius.*

Scholion II. LUDOV. de la FORGE: „Contradictionem involvit, ſi quis dicat, *Spiritum non ſemper, dum exiſtit, cogitare:* Nam quoniam Spiritus nihil aliud eſt, quàm Subſtantia, quæ *Lud. de la Forge.*

„ percipit, quicquid in ipsâ contingit; ſive agat, ſive patiatur, id „ debet percipere; debet ergò ſemper aliquid percipere, & per „ conſequens haud poſſibile eſt, eum non ſemper cogitare. de Mente Humana *Cap. VI. p. 28. 30. ſeqq.*

Principia Philoſophiæ §. 17. Perceptio compoſitorum nulla.

THEOREMA XXXIII.

Eſſentiæ compoſiti Perceptio repugnat.

Demonſtratio.

QUandoquidem perceptio eſt repræſentatio multitudinis externæ in ſubjecto, omnibus partibus carente, *per def. 99.* nulla perceptio eſt variatio vel multitudinis vel ſimilitudinis vel æqualitatis vel ipſius compoſitionis partium ſubjecti, per motum facta, *per ax. 1.* & proinde nulla perceptio involvit mutationem loci partium, realiter diſtinctarum, in ſubjecto, partes illas agnoſcente, *per def. 177.* Sed quod nullam loci partium in ſubjecto, partes illas agnoſcente, mutationem involvit, illud non eſt mutatio, quæ ex compoſitione intelligi & explicari poteſt, *per def. 47. & 173.* conſequenter illud eſſentiæ compoſiti repugnat, *per def. 49.* Ergo Perceptio eſſentiæ compoſiti repugnat. Q. E. D.

Cogitatio corpori incommunicabilis.

THEOREMA XXXIV.

Cogitatio corpori ne quidem per abſolutam DEI potentiam communicari poteſt.

Demonſtratio.

COgitatio omnis eſt perceptio, *per theor. 29.* & proinde eſſentiæ compoſiti repugnat, *per theor. 33.* Sed corpus eſt compoſitum, *per cor. 1. def. 194.* adeoque cogitatio etiam eſſentiæ corporis repugnat. Jam eſſentiæ corporis cogitatio non poteſt ſimul repugnare & non repugnare, *per ax. 1.* adeoque in ſe involvit contradictionem, corpori communicari cogitationem, eſſentiæ corporis repugnantem,

tem, ſalvâ manente eſſentiâ corporis. Quicquid autem in ſe contradictionem involvit, illud eſt abſolutè impoſſibile, *per def. 2.* & proinde illius exiſtentiæ exhibendæ nulla facultas in DEO ſufficit. Ergo cogitatio corpori ne quidem per abſolutam DEI potentiam communicari poteſt, *per def. 246.* Q. E. D.

Scholion. Theorema hoc ſupponitur in demonſtratione Carteſianâ DISTINCTIONIS ANIMÆ A CORPORE, quæ à COGITATIONE ſive CONSCIENTIA deſumitur. Diſtinctio Animæ à corpore.

THEOREMA XXXV.

Principia Philoſophiæ §. 17. Actiones internæ Monadum derivativarum.

Actiones internæ Monadum derivativarum non niſi in continuis perceptionum variationibus conſiſtunt.

Demonſtratio.

MUtationes Monadum derivativarum in ipſis monadibus à principio interno proficiſcuntur, *per theor. 24.* conſequenter ſunt actiones internæ monadum derivativarum, *per def. 64.* Sed mutationes Monadum derivativarum naturaliter continuæ ſunt, *per theor. 23.* & non niſi in perceptionibus conſiſtunt, *per theor. 28.* Ergo perceptiones continuæ ſunt Monadum derivativarum actiones internæ, adeoque actiones internæ Monadum derivativarum non niſi in continuis perceptionum variationibus conſiſtunt. Q. E. D.

THEOREMA XXXVI.

Principia Philoſophiæ §. 20, 24. Monadum nudarum ſtupor perpetuus.

Monades creatæ nudæ in perpetuo ſunt ſtupore.

Demonſtratio.

CÙm Monades creatæ nudæ perceptione nudâ & appetitu nudo tantùm præditæ ſint, *per def. 110.* multitudinem externam in ſe ipſis ita repræſentant perpetuò, ut in totâ repræſentatione, reſpectu ipſarum, nihil ſit vel diſtincti vel clari tantùm, *per def. 108.* conſequenter ſibi repræſen-

ſentationis ſuæ non ſunt conſciæ, *per cor. def. 108.* Sed quod ita repræſentat multitudinem, extrà ſe poſitam, in ſe ipſo, illius ſtatus internus continuò talis eſt, ut ne quidem perceptio totalis clara ſit, *per ax.* 1. & proinde in perpetuo eſt ſtupore, *per def.* 169. Ergò Monades creatæ nudæ in perpetuo ſunt ſtupore. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 20, 21. Animarum rationalium temporarius.

Coroll. Animæ noſtræ, cùm vel deliquio animi laboramus, vel ſomno profundo absque inſomnio oppreſſi ſumus, vel vertigine corripimur, vel corpus præſens naturaliter interit, ad tempus in ſtupore ſunt, adeoquè tum temporis quà ſenſum non differunt à Monadibus nudis.

Ren. Carteſius.

Scholion. Falſa eſt CARTESII hypotheſis, *Animam humanam exiſtere non poſſe ſine cogitatione. Part. I. Epiſt. CV. p. 343.* Intelligit enim COGITATIONIS nomine Apperceptionem in genere, ſive illa omnia, quæ nobis conſciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conſcientia eſt. *Part. I. Princip. Philoſ. Art. IX. p. 2.* Vid. Scholion ad Theor. XXXII.

Principia Philoſophiæ §. 26, 28. Memoria animarum ſenſitivarum.

THEOREMA XXXVII.

Memoria eſt principium conſecutionis perceptionum in animabus ſenſitivis.

Demonſtratio.

Conſecutio perceptionum in animabus ſenſitivis involvit expectationem perceptionis ſimilis ei, quæ jungebatur perceptioni, jam ſemel productæ, *per def.* 121. adeoque rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit in conſcientia reproductionis illius perceptionis, quæ cum aliâ perceptione jam ſemel vel aliquoties conjuncta fuit, *per ax.* 1. & conſequenter in memoriâ, *per def.* 118. Sed quicquid rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit in memoriâ, illius principium eſt memoria, *per def.* 16. Ergo Memoria eſt principium conſecutionis perceptionum in animabus ſenſitivis. Q. E. D.

THEO-

THEOREMA XXXVIII.

Principia Philosophiæ §. 26 Consecutio Perceptionum.

Nuda consecutio perceptionum non involvit Rationem.

Demonstratio.

QUoniam nuda consecutio perceptionum rationem sufficientem existentiæ suæ invenit in solâ conscientiâ reproductionis alicujus perceptionis, quæ semel iterumque conjuncta fuit cum aliâ perceptione, cujus conjunctionem cum perceptione reproductâ expectamus, *per theor. 37.* ad illius existentiam non requiritur repræsentatio distincta ipsius connexionis perceptionis reproductæ cum perceptione aliâ, cum quâ olim conjuncta fuit, *per ax. 1.* h. e. repræsentatio notarum illarum, in quibus duarum perceptionum connexio rationem sufficientem invenit, *per def. 103.* Ergo nuda consecutio perceptionum non involvit Rationem, *per def. 127.* Q. E. D.

Scholion I. Quemadmodum CONSECUTIO PERCEPTIONUM differt à RATIONE in *principio connexionis*; quippe quod in CONSECUTIONE NUDA fundatur in hoc canone: *Quæ perceptiones semel iterumque fuerunt comproductæ, illæ in omnibus casibus comproduci debent*, qui, si casûs diversi extiterint, fallere potest; in RATIONE autem *purâ* fundatur in ipsis æternis possibilium ideis: ita CONSECUTIO RATIONI analoga est in modo connectendi, quòd simili modo inter se connectat perceptiones, quo RATIO inter se connectit Ideas possibilium. Rationi analoga.

Scholion II. Quæ §. XXVIII. de tribus actionum nostrarum quartis, non nisi in Perceptionum Consecutione fundatis, extant, ex Principiis PHILOSOPHI demonstrare jam in potestate non est; non dubito tamen, quin hanc proportionem ex sufficienti ratione determinaverit, quam aliâ occasione inquiram. *Principia Philosophiæ §. 28.*

Scholion III. CONSECUTIO PERCEPTIONUM est Analogum illud Rationis in Brutis, quibus CARTESIUS Sensus & Imaginationem tribuere non audet. *Part. I. Epist. CV. p. 343. seq.* Analogum Rationis in brutis. *Ren. Cartesius. Epist.*

Epist. LXVII. p. 189. „ Videmus quidem, inquit, in animalibus „ brutis motûs quosdam, eorum similes, qui imaginationes no- „ stras sive sensûs consequuntur; imaginationes verò aut sensûs „ utrum illa habeant *ignoramus ;* è contrà verò cùm isti iidem „ motûs possint absque imaginatione fieri, non sine causâ suspi- „ cari possumus, illos in iis ita produci, quemadmodum spero, „ me clarè ostensurum, subtiliter describendo totam illorum „ corporis compagem, & istorum motuum causas. *Part. I.* „ *Epist. LIV. p. 109.* Licet bruta nihil agant, quod probet, illa „ COGITARE; tamen quia corporis illorum organa à nostris „ valdè diversa non sunt, conjicere licet, aliquam esse cogitatio- „ nem hisce organis adjunctam, quemadmodum in nobis expe- „ rimur, licet illorum *Cogitatio* sit *imperfectior* nostrâ. Si bru- „ ta COGITARENT ut nos, animam etiam, ut & nos, immor- „ talem haberent, *quod non est verisimile.* Nam nulla est ratio, „ cur de quibusdam potius, quàm de omnibus id credam, per „ multa autem ut ex. gr. Ostrea, Spongiæ, &c. nimis imperfecta „ sunt, quàm ut hoc de iis judicari queat. Conf. etiam Celeb. CHR. WOLFIUS in *Annotat. Met. p. 459.*

Christ. Wolfius.

Hieron. Rorarius.

Naudæus. Bayle.

Scholion IV. HIERONYMUS contrà RORARIUS in peculiari Libro, (qui centum ferè annis in Bibliothecis delituit, in Galliâ primùm anno 1645. à NAUDAEO, & posteà aliquoties in Belgio, ex. gr. Amstelodami 1654. *in 12mo*, editus, teste BÆLIO dans son Dictionaire Hist. art. RORARIUS *p. 2599.)* probare conatus est, *quod animalia bruta ratione utantur melius homine.* Vide quæ ex antiquis & recentioribus auctoribus collegit BÆLIUS *loc. cit. p. 2600. seqq. 2608. seqq.* & quæ ad argumentum adversus Animæ nostræ immortalitatem, à similitudine ejusdem cum animâ brutorum desumtum affert THOM. CAMPANELLA *Part. III. Met. Lib. XIV. cap. V. art. I. II. p. 142. 144.* & in Quæstion. Physiol. *qu. XLIX. art. II. p. 477. qu. LIV. art. IV. p. 541.* Licet, inquit, in multis RATIOCINENTUR bruta, adeò tamen exilis est RATIOCINATIO eorum, ut nulla videatur humanæ comparata. Bruta hinc secundum THOMAM non sunt rationalia, sed extimativa.

Thom. Campanella.

Thomas de Aquino.

THEO-

THEOREMA XXXIX.

Principia Philosophiæ §. 29. Principium rationis Imaginatio & memoria.

Imaginatio & Memoria ſunt Principium Rationis.

Demonſtratio.

RAtio eſt facultas diſtinctè repræſentandi in ſubjecto impartibili connexiones idearum inter ſe mutuas, *per def. 127.* Ergò ratio involvit repræſentationes claras notarum omnium, quæ connexionem idearum in judiciis ingrediuntur, *per def. 103.* Cùm verò repræſentationes hæ rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcant in reproductione repræſentationum eorum, in quibus ſenſationes & phantaſmata conveniunt vel differunt, quæque non niſi confusè in ipſis ſenſationibus atque phantaſmatis repræſentantur, & in conſcientiâ illius reproductionis, *per def. 125.* Ratio rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in Imaginatione & in Memoria, *per def. 116. & 118.* Ergo etiam Imaginatio & Memoria ſunt principium Rationis, *per def. 16.* Q. E. D.

THEOREMA XL.

Principia Philoſophiæ §. 29. Principium Scientiæ Ratio.

Ratio eſt principium Scientiæ.

Demonſtratio.

QUandoquidem Scientia non eſt niſi promtitudo deducendi unum poſſibile ex alio, mediante ratiocinio, *per def. 129.* illa rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in diſtinctâ repræſentatione trium judiciorum, quorum primum formatur intuitu ſubjecti, in quo prædicatum contineri obſervatur, ſecundum formatur occaſione prioris ex ſenſationibus reproductis cum conſcientiâ reproductionis, & tertium ex duobus præcedentibus, *per def. 128.* & per conſequens in facultate diſtinctè repræſentandi in ſubjecto ſimplici connexionem trium illorum judiciorum inter ſe, *per ax. 1.* Atqui facultas hæc eſt ratio, *per def.*

def. 127. Quare ſcientia rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in ratione, & proinde Ratio eſt principium Scientiæ, *per def.* 16. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 30. Principium reflexionis Ratio.

THEOREMA XLI.

Ratio eſt principium actuum reflexorum in anima rationali.

Demonſtratio.

QUia reflexio omnis involvit comparationem idearum plurium inter ſe, quà convenientiam & differentiam, *per def.* 135. & hæc ſeparatam attentionem ſubjecti comparantis, ipſius comparationis & idearum comparatarum *per cor. def.* 135. reflexio involvet abſtractionem Idearum, *per def.* 134. Sed abſtractio idearum ſupponit earundem conjunctionem inter ſe, & proinde judicium, *per def.* 126. Quare etiam actûs reflexi, circa Ideas verſantes, ſupponunt judicium, adeoque rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcunt in facultate, diſtinctè repræſentandi idearum in judiciis connexionem, *per def.* 127. Ergò Ratio eſt principium actuum reflexorum in animâ rationali, *per def.* 16. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 29, 30. Egoitas.

Coroll. Anima rationalis per reflexionem cognoſcit ſe ipſam, hoc eſt id, quod EGO appellatur, quatenus EGOITAS fundatur in conſcientiâ mei, attendendo ſcil. ſeorſim ad id, quod ſui ipſius ſibi conſcium eſt, tanquam à conſcientiâ ipſâ diverſum. Dum ſe ipſam cogitat, invenit in ſe ipſâ Ideas *Entis*, *Subſtantiæ*, *unius*, *immaterialis*, *ſimplicis*, *compoſiti*, *temporis*, *mutationis*, *ſitûs*, *aliasque veritates neceſſarias*. Dum limites ab his Ideis abſtrahit, cognoſcit *Exiſtentiam*, *Eſſentiam*, *& Proprietates divinas*. Anima igitur per actûs reflexos elevatur ad *Cognitionem ſui ipſius*, *DEI & Veritatum neceſſariarum*, & Ratio illud eſt, quod Animam ad cognitionem illam elevat.

Ideæ rerum in Animâ.

Regeneratio Philoſophica.

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur REGENERATIO PHILOSO-

LOSOPHICA, quâ de præclarè differit R. P. NICOL. MALEBRANCUS in Libro cui tit. *Entretiens sur la Metaphysique & sur la Religion.* *Nicol. Malebranche.*

Scholion II. Patet etiam quo sensu verum sit *Ideas esse innatas*, & *nihil tamen esse in intellectu, quod non fuerit in sensu.* Scil. etsi anima naturaliter nullam Ideam producit, nisi occasione sensationum præcedentium; tamen in sensationibus jam Ideæ continentur, & anima vi prædita est easdem evolvendi secundùm certam Legem, sine determinatione novâ, ab extrâ concurrente. Optimè PHILOSOPHUS in Epistolâ Hanovera xxv. Jul. cIↄ Iↄccvii. ad me datâ: „Longè præferendæ sunt PLATONIS „Notitiæ innatæ (quas reminiscentiæ nomine velavit) Tabu- „læ rasæ ARISTOTELIS & LOCKII, aliorumque recentiorum, „qui ἐξωτερικῶς philosophantur. Addatur WOLFIUS in anno- „tat. metaph. *p. 473.* *Ideæ quo sensu sint innatæ.* *God Guil. Leibnitius.* *Plato.* *Aristoteles.* *Jo. Lockius.* *Chr. Wolfius.*

Scholion III. CARTESIUS intelligit Ideæ nomine quicquid in cogitatione nostrâ versari potest, triaque constituit Idearum genera; primum *adventitiarum*, v. gr. de Sole; secundum *factitiarum*, v. gr. Astronomi de Sole, per rationem formata; tertium *innatarum*, ut Idea DEI, mentis, corporis & omnium veritatum necessariarum. *Part. II. Epist. LIV. p. 210.* *R. Cartesius.* Idearum tria genera Cartesii.

THEOREMA XLII.

Principium contradictionis est principium veritatum necessariarum.

Principia Philosophiæ §. 31. Principium veritatum necessariarum.

Demonstratio.

Cùm omnis veritas necessaria sit propositio, cujus contradictoria est absolutè impossibilis, *per def. 26.* rationem veritatis sufficientem agnoscit in eo, quòd de uno eodemque subjecto unum idemque prædicatum simul affirmari & negari non possit, *per ax. 1.* Quare eandem agnoscit in principio contradictionis, *per def. 17.* Ergo principium contradictionis est principium veritatum necessariarum, *per def. 16.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 33, 34, 35. Ratio ſufficiens veritatum neceſſariarum derivativarum.

THEOREMA XLIII.

Ratio ſufficiens in veritatibus neceſſariis derivativis invenitur per earundem analyſin in veritates neceſſarias primitivas.

Demonſtratio.

QUoniam analyſis veritatum neceſſariarum derivativarum non progreditur in infinitum; ſed omnis veritas neceſſaria derivativa vel ad definitiones poſſibiles ſimplices, quarum definitionem ulteriorem dare non licet, vel ad enunciationes identicas, quarum connexio eſt intima, ut probari ulterius nequeant, ultimatò reducibilis eſt, *per def.* 28. ex analyſi earundem in veritates neceſſarias primitivas intelligi & explicari poteſt, cur illæ veræ potius exiſtant, quàm falſæ, *per def.* 27. Quare ratio ſufficiens veritatis in veritatibus neceſſariis derivativis invenitur per analyſin earum in veritates neceſſarias primitivas, *per def.* 15. Q. E. D.

G. G. Leibnitius.

Scholion. PHILOSOPHUS analyſin finitam veritatum neceſſariarum comparare ſolebat cum numeris rationalibus, per quos problemata illa in Arithmeticâ ſolvuntur, quibus per numerum aliquem, in integris aut fractis aſſignabilem, exactè ſatisfieri poteſt, ut error non minimus, ſed planè nullus ſit. Hanc comparationem diſtinctè explicat CL. BULFFINGERUS *in Dilucid. philoſ. Sect. I. cap. III. §. LXVII. p.* 65.

G. B. Bülffingerus.

Principia Philoſophiæ §. 36. Principium veritatum contingentium.

THEOREMA XLIV.

Principium rationis ſufficientis eſt principium veritatum contingentium.

Demonſtratio.

Cùm omnis veritas contingens ſit propoſitio de hoc vel illo facto, cujus contradictoria æquè in ſe poſſibilis

eſt,

eſt, *per def. 23.* nulla veritas contingens rationem ſufficientem veritatis ſuæ agnoſcit in eo, quod de uno eodemque ſubjecto unum idemque prædicatum ſimul affirmari & negari non poſſit, *per ax. 1.*; ſed in eo, ex quo intelligitur, cur omnia, quæ in univerſo creaturarum contingere obſervantur, contingant potiùs, quàm non contingant, ita potius, quàm aliter contingant, *per ax. 2.* Quamobrem omnis veritas contingens rationem ſufficientem veritatis ſuæ agnoſcit in principio rationis ſufficientis, *per def. 18* Ergò principium rationis ſufficientis eſt principium veritatum contingentium, *per def. 16.* Q. E. D.

Scholion. Requiritur etiam ratio ſufficiens ad poſſibilitatem, ſcilicet ut hoc vel illud hoc vel illo modo *fieri poſſit*, utut non fiat, & ratio quædam ſufficiens eſſe poteſt ad id, *ut fiat A*, & ſimul ad id, *ut fieri poſſit B*, proùt rectè monet laudatus Philoſophus in Dilucidat. philoſ. *l. c.* §. *LXX. LXXI. p. 68. ſeq.*

THEOREMA XLV.

Principia Philoſophia. §. 36. Ratio ultima veritatum contingentium.

Ratio ultima in veritatibus contingentibus non poteſt inveniri per analyſin in rationes particulares.

Demonſtratio.

OMnis veritas contingens, cùm contineat factum, cujus oppoſitum aequè in ſe eſt poſſibile, *per def. 23.* adeoque aliter concipi poſſit ſine omni contradictione, *per def. 6.*; veritatis ſuæ rationem particularem agnoſcit in aliâ propoſitione, aliud iterum factum, cujus oppoſiti exiſtentia in ſe æquè eſt poſſibilis, continente, *per ax. 2.* & proinde cujuscunque veritatis contingentis analyſis in rationes particulares, cur potius exiſtat vera, quàm ejusdem oppoſitum, in ſe æquè poſſibile, progreditur in infinitum; quatenus nunquam devenire licet ad rationem naturalem ejusmodi, quæ non poſtulet novam, veritatis facti, in ſe contingentis,

rationem. Atqui in tali analysi veritatum facti in rationes particulares non continetur id, ex quo intelligi & explicari potest, cur propositio de facto, absolutè contingenti, vera potius existat, quàm falsa *per ax. 1.* Ergò etiam ratio ultima in veritatibus contingentibus non potest inveniri per analysin in rationes particulares, *per def. 15.* Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 32, 37. G. G. Leibnitius.

Coroll. Rationes particulares veritatum contingentium sæpissimè nobis esse possunt incognitæ.

Scholion. PHILOSOPHUS analysin infinitam veritatum contingentium comparare solebat cum numeris irrationalibus, per quos illa Problemata in Arithmeticâ solvuntur, quibus nunquam perfectè satisfieri potest, ut error nullus remaneat, licet ille semper approximando minor fiat. Videatur iterum Cl. BULFFINGER. *loc. cit. §. LXIX. p. 66. seq.*

G. B. Bülffingerus.

Principia Philosophiæ §. 37. Ratio sufficiens existentiæ Seriei contingentium infinitæ.

THEOREMA XLVI.

Ratio sufficiens existentiæ Seriei contingentium infinitæ, datur extrà seriem infinitam contingentium.

Demonstratio.

Cùm existentia seriei contingentium infinitæ sit absolutè contingens, *per def. 21.* intelligi & explicari non potest ex eo, cujus existentia pariter est absolutè contingens, *per ax. 2.* adeoque ratio sufficiens existentiæ Seriei contingentium infinitæ invenitur in eo quod existere potest, Serie infinitâ contingentium etiam non existente, *per def. 15.* consequenter in eo, quod à Serie illâ diversum est, *per def. 35.* Ergo ratio sufficiens existentiæ seriei contingentium infinitæ datur extrà seriem infinitam contingentium, *per cor. def. 35.* Q. E. D.

THEOREMA XLVII.

Ratio ultima exiſtentiæ Seriei contingentium infinitæ datur in ſubſtantia quadam neceſſaria. *Principia Philoſophiæ §. 38, 46.*

Demonſtratio.

RAtio ultima exiſtentiæ ſeriei contingentium infinitæ datur in eo, quod exiſtere poteſt, ſine infinitâ contingentium etiam non exiſtente, *per theor. 46.* conſequenter in eo, cujus non exiſtentia eſt abſolutè impoſſibilis, *per ax. 1.* & proinde in Ente abſolutè neceſſario, *per def. 25.* Sed Ens, in quo ſeries infinita contingentium rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit, confert actualitatem principio mutationum, quod continet quodlibet ens illius Seriei, *per def. 13. & ax. 1.* adeoque Ens illud principium mutationum omnium entium illius ſeriei continet eminenter, *per Schol. def. 74.* & proinde continet principium mutationum, *per ax.* 1. Quare Ens neceſſarium, in quo ſeries infinita contingentium rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit, eſt ſubſtantia, *per def. 74.* Ergò Ratio ultima exiſtentiæ Seriei contingentium infinitæ datur in ſubſtantiâ quâdam neceſſariâ, *per ax. 1.* Q. E. D.

Coroll. Subſtantia illa neceſſaria, in quâ datur ratio ultima Exiſtentiæ Seriei contingentium infinitæ, cum ſerie illa Unum aliquod conſtituere non poteſt, *per theor. 46.* *38.*

THEOREMA XLVIII.

46. Subſtantia neceſſaria eſt (1) Ens à ſe.

Subſtantia neceſſaria eſt Ens à ſe.

Demonſtratio.

SUbſtantiæ neceſſariæ eſſentia includit exiſtentiam, ita ut ſufficiat, illam eſſe poſſibilem, ad id, ut ſit actualis, *per def. 75.* adeoque Subſtantia neceſſaria non in alio Ente, ſed in ſe ipſo rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit,

per ax. 1. Quare ſubſtantia neceſſaria eſt Ens à ſe, *per def.* 19. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 40. (2.) Subſtantia univerſalis.

THEOREMA XLIX.

Subſtantia neceſſaria eſt Subſtantia univerſalis.

Demonſtratio.

OMne Ens creatum rationem ſufficientem eſſentiæ & exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in Ente à ſe, *per def.* 20. & proinde in ſubſtantiâ neceſſariâ, *per theor.* 48. Quamobrem ſubſtantia neceſſaria univerſaliter & abſolutè continet omnes realitates reliquarum ſubſtantiarum, *per def.* 136. Ergo Subſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia univerſalis, *per def.* 76. Q. E. D.

G. G. Leibnitius.

Scholion. LEIBNITIUS: Subſtantia univerſalis non eſt Ens indeterminatum, ut genus, & ſpecies; ſed Ens abſolutum & illimitatum. *Tom. II. du Recueil. p.* 333.

Principia Philoſophiæ §. 4. (3.) Infinita.

THEOREMA L.

Subſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia infinita.

Demonſtratio.

SUbſtantia neceſſaria cùm ſit ſubſtantia univerſalis, *per theor.* 49. illius eſſentia in nullâ realitate limitum capax eſt, *per def.* 76. & proinde ſubſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia infinita, *per def.* 78. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ. §. 38. (4) Ens immutabile.

THEOREMA LI.

Subſtantia neceſſaria eſt Ens immutabile.

Demonſtratio.

CUm ſubſtantia neceſſaria ſit ſubſtantia infinita, *per theor.* 50. omne id, quod eſſe poteſt, ſimul eſt, *per Schol. def.* 10. & proinde eſſentia illius aliarum atque aliarum determinationum ſucceſſive non eſt capax, *per ax.* 1. Ergo

Subſtan-

Substantia necessaria est Ens immutabile, *per def. 73.* Q. E. D.

THEOREMA LII.

Principia Philosophiæ §. 40. (5.) Ens independens.

Substantia necessaria est Ens independens.

Demonstratio.

Substantia necessaria rationem sufficientem existentiæ suæ in seipso agnoscit, *per theor. 48.* consequenter essentia substantiæ necessariæ nihil eorum continet, quæ rationem aliquam agnoscunt in alio Ente, *per ax. 1.* Ergo Substantia necessaria est Ens independens, *per def. 29.* Q. E. D.

THEOREMA LIII.

Principia Philosophiæ §. 39, 92. Mundus machina corporea.

Mundus est machina corporea.

Demonstratio.

Quoniam Mundus aggregatum est, ex connexione omnium entium creatorum, simul & successivè existentium resultans, *per def. 222.* erit compositum, *per def. 48.* consequenter essentia Mundi in compositione consistet, *per def. 49.* Quamobrem omnes proprietates & mutationes mundi in structurâ ejusdem sive compositione rationem sufficientem agnoscent, *per def. 12. & 14.* Ergo Mundus est machina corporea, *per def. 215.* Q. E. D.

Coroll. Mundus est Unum quid, eò quòd est Compositum, quod est machina.

THEOREMA LIV.

Principia Philosophiæ, §. 40. (6) Substantia suprema.

Substantia necessaria est Substantia suprema & unica.

Demonstratio.

I. Substantia necessaria est substantia independens *per theor. 52.* adeoque existere potest, nullo alio ente existente,

ſtente, *per cor. def.* 29. Quare ante ſubſtantiam neceſſariam nulla exiſtit ſubſtantia, *per ax.* 1. Ergo ſubſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia ſuprema, *per def.* 77. Q. E. D.

(7.) & unica. II. Series quæcunque contingentium ita connexa eſt, ut Unum quid conſtituat, *per cor. theor.* 53. & exiſtentia ejus rationem ſufficientem invenit in ſubſtantiâ neceſſariâ, *per theor.* 47. Ergò Subſtantia neceſſaria eſt Unica, *per ax.* 2. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 41. (8.) Ens abſolutè perfectum.

THEOREMA LV.

Subſtantia neceſſaria eſt Ens abſolutè perfectum.

Demonſtratio.

QUandoquidem ſubſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia univerſalis, *per theor.* 49. illius eſſentia omnes continet realitates univerſaliter & abſolutè, *per def.* 76. conſequenter omnem realitatem poſſibilem, præcisè ſumtam, *per def.* 136. *&* *ax.* 1. Ergò ſubſtantia neceſſaria eſt Ens abſolutè perfectum, *per def.* 145. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 40. 48. (9.) Ens ſimplex.

THEOREMA LVI.

Subſtantia neceſſaria eſt Ens ſimplex.

Demonſtratio.

SUbſtantia neceſſaria eſt Ens immutabile, *per theor.* 51. & proinde in illam nulla cadit ſubſtitutio ſucceſſiva diverſarum determinationum, *per def.* 64. *&* 63. adeoque nec variatio vel multitudinis vel ſimilitudinis vel æqualitatis vel ipſius compoſitionis partium per motum factæ, *per ax.* 1. quare ſubſtantia neceſſaria partibus caret, *per ax.* 1. Ergo ſubſtantia neceſſaria eſt Ens ſimplex, *per def.* 85. Q. E. D.

THEOREMA LVII.

Principia Philosophiæ. §. 41. (10) Monas originaria.

Subſtantia neceſſaria eſt Monas Originaria.

Demonſtratio.

SUbſtantia neceſſaria eſt Ens independens, *per theor. 52.* & ſimul Ens ſimplex, *per theor. 56.* adeoque eſt Ens ſimplex quod exiſtere poteſt, nullis aliis Entibus ſimplicibus exiſtentibus; *per cor. def. 29.* Ergo Subſtantia neceſſaria eſt Monas Originaria, *per def. 87.* Q. E. D.

THEOREMA LVIII.

Principia Philoſophiæ §. 38. DEUS eſt ſubſtantia.

DEUS eſt ſubſtantia.

Demonſtratio.

CUm per DEUM intelligatur Ens, quod continet rationem ſufficientem exiſtentiæ hujus potius mundi, quàm cujuscunque alterius poſſibilis, *per def. 223.* DEUS omnibus entibus, quorum Mundus eſt aggregatum, actualitatem confert, *per def. 13.* Quamobrem principium mutationum Entium omnium continet eminenter, *per Schol. def. 74.* Ergo DEUS continet principium mutationum, *per ax. 1.* & proinde DEUS eſt ſubſtantia, *per def. 74.* Q. E. D.

THEOREMA LIX.

Principia Philoſophiæ §. 38. 46. neceſſaria.

DEUS eſt ſubſtantia neceſſaria.

Demonſtratio.

IN DEO datur ratio ſufficiens exiſtentiæ omnium entium ab ipſo diverſorum, *per def. 222. & 15. & cor. theor. 53.* adeoque DEUS eſt ſubſtantia, quæ rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non in alio ente, à ſe diverſo, agnoſcit, *per ax. 1.* Sed ſubſtantiæ illius, quæ rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in nullo alio ente exiſtente agnoſcit, eſſentia includit exiſtentiam, *per ax. 1.* Ergo DEUS eſt ſubſtantia neceſſaria, *per def. 75.* Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 45.

Coroll. Quicquid de Subſtantiâ neceſſariâ in antecedentibus demonſtratum eſt, etiam de DEO verum eſt. DEUS igitur EXISTIT; *per def. 19.* DEUS cum nulla ſerie contingentium UNUM conſtituit, *per cor. theor. 47.* DEUS eſt Ens à ſe, *per theor. 48.* DEUS eſt Subſtantia univerſalis, *per theor. 49.* DEUS eſt ſubſtantia infinita, *per theor. 50.* DEUS eſt Ens immutabile, *per theor. 51.* DEUS eſt Ens independens, *per theor. 52.* DEUS eſt ſubſtantia ſuprema & unica, *per theor. 54.* DEUS eſt Ens abſolutè perfectum, *per theor. 55.* DEUS eſt Ens ſimplex, *per theor. 56.* DEUS eſt MONAS ORIGINARIA, *per theor. 57.*

Jo. Picus Mirandulanus. Petrus Bungus.

Scholion. JO. PICUS MIRANDULANUS de Ente & Uno apud PETRUM BUNGUM de Numerorum myſteriis, de „ Unitate *p. 13. ſeq.* DEUS ſecundùm Pythagoricos eſſentiali- „ ter eſt UNUM, *à quo* & *per quod*, & *in quo* & *ad quod* omnia „ ſunt, & ordinantur & permanent, & continentur, & implen- „ tur, & convertuntur; eſt primum Unum, & primum Ens.

Jamblichus Proclus.

„ IDEM ex JAMBLICHO & PROCLO; *loc. cit. p. 15.* Ab „ UNITATE DIVINA cuncta prodeunt, prodeuntiaque Unita- „ tem quandam, ipſis impreſſam retinent, divinæ Unitatis Ima- „ ginem, quâ & revocantur in illam, & revocata perficiuntur.

Pythagoras.

„ IDEM *p. 51.* PYTHAGORAS appoſitè Unitatem profitetur „ eſſe DEUM & Bonum intellectum, Dualitatem verò Dæmo- „ nem ac malum, in quâ materialis eſt multitudo.

Homerus.

HOME- „ RUS UNIUS naturam in boni portione conſtituit, in mali „ verò dualitatem.

Thomas Campanella.

THOMAS CAMPANELLA *Part. II.* „ *Metaph. Lib. VII. cap. I. art. I. Tom. IV. oper. p. 111. 112.* „ DEUS non poteſt eſſe niſi UNUS, quia verè UNUS. Ve- „ rùm nihil prohibet, quia UNITAS producat Unitates mino- „ res & conſimiles. Nam ſi idem procedit, non recedit, ut fi- „ ant duo: quod ſi enim Ens non poteſt non entia facere, ne- „ que unitas non unitates; ſed ſolùm infinitum Unum eſt, nec „ poteſt infinitum facere extra ſe. Multitudo ergò eſt unitatum „ numerus; ſed quia numerus importat diviſionem, diviſio au- „ tem eſt à non-ente: in hoc enim calor eſt diviſus à frigore, „ & hoc corpus ab illo corpore, quod non eſt calor frigus, nec „ hoc corpus illud corpus. Igitur unitas, quæ eſt ſummum Ens, „ infinita eſt, nec numerum admittit, quin nec actu nec poten- „ tiâ diviſionem. Addatur *cap. II. p. 116. ſeqq.*

THEO-

THEOREMA LX.

Principia Philosophiæ §. 49. 57

Potentia DEI infinita.

In DEO datur Potentia infinita.

Demonstratio.

DEUS continet rationem sufficientem existentiæ hujus potius mundi, quàm alicujus cujuscunque, cujus tamen existentia, in se spectata, æquè possibilis est, *per def. 223.* Datur igitur in DEO abundantia realitatis tanta, quæ exhibendæ existentiæ cujuscunque possibilis simpliciter sufficit, *per ax. 1.* & proinde Potentia, *per def. 245.* Sed talis abundantia realitatis, quæ se extendit ad exhibendam existentiam cujuscunque possibilis simpliciter, nullorum limitum capax, *per ax. 1.* adeoque infinita est, *per def. 70.* Ergò in DEO datur Potentia infinita. Q. E. D.

THEOREMA LXI.

Principia Philosophiæ §. 45. 47. 49.

Intellectus DEI infinitus.

In DEO datur Intellectus infinitus.

Demonstratio.

IN DEO datur ratio sufficiens existentiæ hujus potius mundi, quàm alterius cujuscunque, in se possibilis, *per def. 223.* & hæc involvit rationem, quæ DEUM determinat, ad exhibendam unius potius existentiam, quàm cujuscunque alterius, *per ax. 1.* Sed hæc ratio, DEUM determinans, non est nisi in distinctâ repræsentatione omnium universorum possibilium, & omnium graduum perfectionis in singulis universis possibilibus, *per ax. 1.* & per consequens DEUS sibi adæquatè & simul repræsentat simpliciter omnia possibilia. Quare repræsentatio divina possibilium nec quà objectum, nec quà modum repræsentandi ullas limites admittit, *per ax. 1.* Ergò in DEO datur intellectus infinitus, *per def. 234. & 70.* Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 43. 44. Principium essentiarum & existentiarum.

THEOREMA LXII.

Intellectus DEI est principium essentiarum simul & existentiarum.

Demonstratio.

IN intellectu divino omnis possibilitas rationem sufficientem invenit, *per def. 234.* adeoque etiam omnium entium essentia, *per cor. def. 12.* Existentia autem entium includit & sequitur eorundem essentiam, *per cor. 2. def. 13.* adeoque existentia entium omnium pariter in intellectu divino rationem sufficientem invenit. Ergo intellectus DEI est principium essentiarum simul & existentiarum, *per def. 16.* Q.E.D.

Principia Philosophiæ. §. 49. 43. Mundus Idealis Platonis. *G. G. Leibnitius.* *Thomas Campanella.* Mundus archetypus. *Chrysostomus.* Mundus Metaphysicus. Mundus Mathematicus. Mundus corporalis. Mundus situalis.

Scholion I. Intellectus divinus, in Schemate Idearum sive veritatum omnium consistens, à PLATONE dicitur χώρα ἰδεῶν & MUNDUS IDEALIS. Loca citavimus in diatribâ nostrâ de Enthusiasmo Platonico, *Sect. IV. §. 16. Sect. VII. §. 37.* cujus editionem novam brevi dabimus. Conf. etiam LEIBNITIUS *Tom. II. Recueil. p. 423. seq.*

Scholion II. Atque hic mundus THOMÆ CAMPANELLÆ est MUNDUS ARCHETYPUS in primo Ente immensus, infinitus, sibi simillimus, in suâ entitate innumerabiles absque fine mundos corporeos præhabens & præcellens. Potest enim DEUS innumerabiles facere mundos, uti probat S. CHRYSOSTOMUS, si ipsi esse existentialiter possent. In Mundo archetypo, tanquam basis sustentatur *Mundus mentium* sive *Metaphysicus*, qui præcedit, penetrat & ambit *Mundum Mathematicum* & *Mundum corporalem.* In Mundo mentium autem, tanquam basi suâ, fundatur *Mathematicus*, in quo mentes, tanquam in posteriore sibi ente, faciunt figuras, lineas, puncta imaginesque omnes mathematicas. Quod in Mundo Mathematico per mundum mentalem fundatur, exprimitur in *Mundo corporali.* In Mundo corporali locatur *Mundus situalis*, per numeros & formas, ad essentiam existentiarum & coëxistentiarum pertinentes, distinctas. Mundi mentalis, Mathematicus & corporalis non moriuntur, sed tantum situalis. Vid. *Part. II. Metaph. Lib. X. cap.*

I. *art.*

I. *art. III. V. VI. VII. p. 243, 245, 246. Part. III. Lib. XVIII. cap. I. art. I. p. 249.*

THEOREMA LXIII.

Principia Philosophiæ §. 57. Sapientia DEI absolutè perfecta.

In DEO datur Sapientia absolutè perfecta.

Demonstratio.

IN DEO datur distincta repræsentatio omnium finium & mediorum, ut & omnium connexionum, inter fines & media possibilium, *per theor. 61.* & proinde in DEO datur scientia connectendi finem generalem cum specialibus, ut hi sint media obtinendi finem ultimum brevissimè & plenissimè, *per ax. 1.* Quare in DEO datur Sapientia *per def. 152.* & quidem talis, quæ omnem realitatem absolutam Sapientiæ continet, *per ax. 1.* Ergo in DEO datur Sapientia absolutè perfecta, *per def. 140.* Q. E. D.

THEOREMA LXIV.

Motiva fortiora DEI.

Motiva fortiora DEI non sunt nisi perfectiones plures majoresve.

Demonstratio.

DEUS sapientissimus fines omnes, simul possibiles plenissimè & viâ brevissimâ obtinet, *per theor. 63.* & proinde id, ob quod DEUS se ad agendum determinat, major perfectionis gradus est, *per ax. 1.* Motiva igitur DEI fortiora non sunt nisi perfectiones plures majoresve, *per def. 153.* Q. E. D.

Lex Sapientiæ.

Scholion. Hoc theorema dicitur *Lex Sapientiæ per def. 157.*

THEOREMA LXV.

Principia Philosophiæ §. 47. 49. 55. Voluntas DEI absolutè perfecta.

In DEO datur Voluntas absolutè perfecta.

Demonstratio.

MOtiva fortiora DEI non sunt nisi perfectiones plures majoresve *per theor. 64.* adeoque datur in DEO

 prom-

promtitudo perfectissima ad producendam infallibilem repræsentationem adæquatam possibilis Optimi, *per def. 237.* Quare in DEO datur voluntas, *per def. 130.* cujus conatus producendi possibile repræsentatum servat consensum constantem, qui in voluntate maximè possibilis est, cum gradu perfectionis ejusdem, *per ax.* 1. Sed talis conatus ad producendam repræsentationem distinctam possibilis pro gradu perfectionis ejusdem dicitur voluntas absolutè perfecta *per def. 236.* Ergo in DEO datur voluntas absolutè perfecta. Q. E. D.

Coroll. Intellectus infinitus non est sine voluntate absolutè perfecta, *per theor. 61. & 65.*

Scholion. En analogiam inter Monadem Originariam & Monades derivativas! In Monadibus derivativis nulla perceptio est sine appetitu, *per theor. 30.*; in Monade originariâ intellectus infinitus non est sine voluntate absolutè perfectâ, *per cor. theor. 65. & cor. theor. 59.* En differentiam inter perceptiones Monadum derivativarum earundemque appetitûs, & inter intellectum atque voluntatem Monadis Originariæ. In illis enim perceptiones, utut distinctæ fuerint, gradûs tamen distinctionis admittunt, consequenter limitum capaces sunt, *per def. 90. & cor. 1. def. 136.* nec se ad omne possibile absolutè extendunt; in hâc intellectus repræsentat omnia possibilia absolutè, & in gradu distinctionis absolutè summo, consequenter sine successione & adæquatè. In illis Appetitus, utut agat ex motivis perfectionis distinctè cognitæ, non tamen agit ex adæquatâ repræsentatione optimi: in hâc Voluntas tendit ad omnem perfectionem absolutè & ab intellectu adæquatè repræsentatam, nec sistit nisi in productione Optimi.

Principia Philosophiæ §. 57. Bonitas DEI absolutè perfecta.

THEOREMA LXVI.

In DEO datur Bonitas absolutè perfecta.

Demonstratio.

Quoniam in DEO datur voluntas absolutè perfecta, *per theor. 65.* promtitudo etiam voluntatis divinæ erit intensissima, conferendi creaturis omnibus perfectiones, qua-

quarum per essentiam suam capaces sunt, universas, *per def. 236.* consequenter omnes realitates absolutas, in suo genere possibiles, continet, *per ax.* 1. Ergo datur in DEO Bonitas absolutè perfecta, *per def. 158. & def.* 140. Q. E. D.

THEOREMA LXVII.

Principia Philosophiæ §. 93. Justitia DEI absolutè perfecta.

In DEO datur Justitia absolutè perfecta.

Demonstratio.

CUm Justitia sit bonitas, secundùm Sapientiæ Legem administrata, *per def. 159.* in DEO autem detur Sapientia absolutè perfecta, *per theor. 63.* detur etiam Bonitas absolutè perfecta, *per theor. 66.*: dabitur etiam Justitia absolutè perfecta *per ax.* 1. *& def.* 140. Q. E. D.

Coroll. In Civitate DEI nulla datur actio bona sine remuneratione, & nulla actio mala sine pœnâ. *93.*

THEOREMA LXVIII.

42. Perfectiones substantiarum finitarum.

Substantiæ finitæ perfectiones suas habent ab influxu DEI.

Demonstratio.

QUandoquidem substantiæ finitæ in nullâ realitate suâ sunt illimitatæ; *per def. 79.* rationem etiam sufficientem existentiæ suæ agnoscunt in Ente, in quo ratio sufficiens existentiæ hujus mundi deprehenditur, *per cor. 2 def. 13.* consequenter in DEO, *per def. 223.* Sed quicquid rationem sufficientem existentiæ suæ agnoscit in DEO, etiam rationem ultimam omnium suarum realitatum absolutarum agnoscit in DEO, *per theor. 62.* Ergo substantiæ finitæ perfectiones suas habent ab influxu DEI, *per def. 228. & def.* 140. Q. E. D.

THEO-

Principia Philosophiæ §. 42. Imperfectiones substantiarum finitarum.

THEOREMA LXIX.

Substantiæ finitæ imperfectiones suas habent ab essentia sua sivè propria natura.

Demonstratio.

SUbstantiæ finitæ in nullâ realitate suâ sunt illimitatæ; *per def. 79.* & proinde modus, quo substantiæ finitæ possibiles sunt, involvit absentiam realitatum quarundam, & negationem ulterioris tendentiæ in realitatibus præsentibus, *per ax.* 1. Quamobrem essentia sive propria natura substantiarum finitarum involvit imperfectiones *per cor. def. 12. & def. 160.* Ergo substantiæ finitæ imperfectiones suas habent ab essentiâ suâ sivè propriâ naturâ. Q. E. D.

Origo & Permissio mali. *G.B.Bülffingerus*

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur ORIGO & PERMISSIO MALA, quâ de peculiarem publico dedit Commentationem Philosophicam Celeberrimus GEORG. BERNH. BüLFFINGERUS.

G. G. Leibnitius. Malum metaphysicum. Malum Physicum. Malum Morale.

Scholion II. PHILOSOPHUS noster *Malum* triplex facit, *Metaphysicum, physicum & morale. Malum Metaphysicum* est imperfectio simplex entium, etiam non intelligentium : *Malum Physicum* est incommodum sive perpessio creaturarum, sensu & intellectu præditarum : *Malum Morale* est actio vel omissio actionis creaturarum intelligentium, à normâ suâ discedentum. Vid. THEODIC. *§. XXI. p. 132.* & CAUSA DEI. §. *XXX, XXXI, XXXII. coll.* BüLFFINGERI *Dilucid. Philos. p. 553.*

Principia Philosophiæ §. 44. 45. Possibilitas DEI.

THEOREMA LXX.

Possibilitas DEI est principium existentiæ DEI.

Demonstratio.

IN DEO ratio sufficiens existentiæ mundi cujuscunque possibilis deprehenditur, *per def. 223.* adeoque existentia DEI in ipso DEO rationem sufficientem agnoscit, *per ax.* 2. Quamobrem non-existentia DEI est absolutè impossibilis,

per

per ax. 1. & consequenter DEUS existit absolutè necessariò, *per def. 25.* Sed quod absolutè necessariò existit, illius existentia in eo solo rationem sufficientem invenit, quòd essentia ejus, nullam involvit contradictionem, *per ax.* 1. Ergo possibilitas sola DEI est principium existentiæ DEI, *per def. 5. & def.* 16. Q. E. D.

Coroll. EXISTENTIA DEI ad veritates necessarias pertinet: Existentia autem creaturarum ad veritates contingentes, *per def. 27.* & *def. 23.* quatenus scilicet Existentia DEI talis est, ut intelligi possit, nisi existat DEUS, eundem simul esse possibilem & non possibilem; existentia contra creaturarum talis est, ut eâdem non, vel aliter positâ, possibilitati tamen earum absolutæ non contradicat. Existentia DEI & creaturarum.

Scholion I. CARTESIUS rectè ex Ideâ Entis perfectissimi existentiam DEI *à priori* demonstrat: si prius demonstretur hypotheseos assumtæ possibilitas; prout rectè monuit LEIBNITIUS Memoires pour l' histoire des Sciences & des beaux arts Sept. & Oct. art. *XXIII. p. 276. seq.* On suppose tacitement, „ que DIEU ou bien l'Estre parfait est possible. Si ce point „ étoit encore demontré comme il faut, on pouroit dire que „ l' Existence de DIEU seroit demontrée geometriquement *à* „ *priori.* Et cela montre ce que j' ay déja dit, qu' on ne peut „ raisonner parfaitement sur des idées, qu' en connoissant leur „ possibilité: à quoy les geometres ont pris garde, mais pas as- „ sez les Cartesiens. „ *Ren. Cartesius.* *G. G. Leibnitius.*

Scholion II. Certitudo Existentiæ omnium creaturarum resolvitur in certitudinem conscientiæ SUI. In hâc enim fundatur existentia Entis sibi conscii, & ante hanc nulla nobis existentia aliarum creaturarum innotescit. CARTESIUS igitur in Meditationibus suis de Primâ Philosophiâ *Medit. II. p. 9. seqq.* demonstrationem existentiæ DEI & animæ humanæ rectè incipit à conscientiâ sui. Methodus philosophandi Cartesiana.

P THEO-

Principia Philosophiæ §. 45, 49. Prima possibilia.

THEOREMA LXXI.

Essentia & Attributa DEI sunt prima possibilia.

Demonstratio.

QUoniam sine intellectu DEI nihil est possibile, *per theor. 62.* propter essentiam & attributa DEI omnia possibilia sunt possibilia, *per def. 12. & def. 14.* Ergò Essentia & Attributa DEI sunt prima possibilia. *per def. 8.* Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 44, 45. Principium realitatis in possibilitatibus.

THEOREMA LXXII.

Existentia DEI est principium realitatis in possibilitatibus.

Demonstratio.

QUoniam Essentia & attributa DEI sunt prima possibilia, *per theor. 71.* Sine existentiâ DEI nihil foret realitatis in veritatibus necessariis, *per def. 26. & 136.* & per consequens in existentiâ DEI realitas possibilium rationem sufficientem invenit, *per ax. 1.* Ergo existentia DEI est principium realitatis in possibilitatibus, *per def. 16.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius. Scholion I. Huc pertinet illud LEIBNITII in Theodicæâ *Part. II.* „ *§. CLXXXIV. p. 354.* Toute realité doit être fondée dans quelque chose d' existant. Il est vray qu' un Athée peut être Geométre. Mais s'il n' y avoit point de DIEU, il n' y auroit point d' objet de la Geometrie. Et sans Dieu non seulement il' n' y auroit rien d' existant, mais il n' y auroit même rien de possible: in Causâ DEI assertâ *§. VIII. p. 5.* Ipsa rerum possibilitas, cùm actu non existunt, realitatem habet fundatam in Divinâ Existentiâ: nisi enim DEUS existeret, nihil possibile foret; „ & possibilia ab æterno sunt in Ideis divini intellectûs. Add. *Part. I. Theod. §. VII. p. 115. & Part. III. §. CCCXXXV. p. 525.*

§ 45. Scholion II. Ex realitatibus veritatum necessariarum etiam *à priori* demonstrari potest Existentia DEI.

THEO-

THEOREMA LXXIII.

Voluntas DEI non est principium veritatum necessariarum.

Principia Philosophiæ §. 47. Principium veritatum necessariarum.

Demonstratio.

OMnis veritas necessaria rationem sufficientem invenit in principio contradictionis, *per theor. 42.* Sed principium contradictionis rationem sufficientem agnoscit in repræsentatione distinctâ consensûs vel dissensûs idearum inter se, *per def. 17.* & per consequens in repræsentatione simultaneâ & adæquatâ omnium possibilium, *per axioma 1.* adeoque omnis veritas necessaria eandem agnoscit in solo intellectu Dei, *per def. 234.* Ergo Voluntas DEI non est principium veritatum necessariarum, *per def. 16.* Q.E.D.

Principia Philosophiæ §. 47. *Ren. Cartesius.* Veritates arbitrariæ.

Scholion I. RENATUS CARTESIUS, *Part. I. Ep. CXII. p. 359.* præsupponens, *omnem affirmationem atque negationem ad voluntatem, non intellectum pertinere, Part. I. Princip. art. XXXIII. XXXIV. p. 9.* principium veritatum necessariarum in divinâ voluntate quærit, & per consequens easdem facit arbitrarias: *Quantum,* inquit, *ad veritates æternas, dico iterum, illas esse tantum veras aut possibiles, quia Deus illas veras & possibiles COGNOSCIT:* (h. e. ex hypothesi CARTESII; quia voluntas DEI se ipsam determinat ad earundem vel affirmationem de se invicem vel negationem) *non autem contrà veras à DEO cognosci, quasi independenter ab illo sint veræ.* Quem verborum sensum esse ex sequentibus constat. Ita enim immediatè in eâdem Epistolâ pergit: Et, si homines verborum suorum sensum probè intelligerent, utique non possent sine blasphemiâ dicere, veritatem cujuspiam rei priorem esse cognitione DEI; in DEO enim unum idemque est velle & cognoscere; ita ut hoc ipso, quod aliquid velit, *ideò cognoscit, & ideò tantùm talis res est vera.* Addatur *Part. I. Ep. LXVII. p. 186. Ep. CXV. p. 372.* Sed rectè LEIBNITIUS *Part. II. Theodicææ §. CCXXXV. p. 414.* Lors qu'on demande, si une chose est possible ou necessaire, & qu'on y fait entrer la consideration de ce que Dieu veut ou choisit on change de question. Car Dieu choisit parmi les

G. G. Leibnitius.

„ possibles, & c' est pour cela, qu'il choisit librement & qu'il „ n' est point necessité; il n' y auroit point de choix ni de liberté „ s' il n'y avoit qu'un seul parti possible.

Petrus Poiretus.

Scholion II. De genuinâ PETRI POIRETI sententiâ accuratè egit Celeb. BULFFINGERUS in dilucidationibus suis philosophicis, qui otia nobis fecit in exhibendis ipsis Philosophi hujus verbis, ex Cogitationibus rationalibus, *anno 1715. editis, in 4to* Oeconomiâ divinâ & Libro de Veris & cognitu omnium primis excerptis. Veritates scilicet necessarias, quæ non immediatè ipsam DEI Essentiam concernunt, ita arbitrario DEI decreto subjicit POIRETUS, ut DEus & has & harum loco alias, sed Divinitati tamen non indecoras, statuere olim potuerit, & has quoque, quas statuit, statuere potuisset ad tempus solùm, licet non credendum sit, DEUM illas hoc modo statuisse, cùm nullam suspicari possimus causam, cujus gratia terminus veritatibus statutus sit, & beneplacitum DEI (præsupposito simul decreto) „ sit immutabile. Dico, inquit, *in Cogitationibus Rationalibus* „ *Lib. III. cap. X.* §. *V. p. 395.* DEUM concipere necessariò, ne-
p.125.126.
„ cessitate naturæ suæ, veritates illas, quæ de illo sunt, quæque „ ejus naturam, essentiam, attributa, *immediatè* spectant, & „ illum nunquam fuisse ad has indifferentem. At non item de „ veritatibus, quæ ideas, essentias, proprietates omnium eorum, „ *quæ ipse DEUS non sunt*, respiciunt: sive existant illæ, aut „ solùm concipiantur; sive ad mentium naturam, aut corpora, „ eorumve motûs, regulas, figuras, aut ad numeros, aut ad „ quævis alia referantur. Nam eas ideò tales concipit & cogi- „ tat DEUS, non quod eæ ex sese tales sint, *immutabilesque*, „ sed quod ipsi placuerit, eas tales statuere: adeò ut veritates illæ „ sint *dependentes à DEI placito*, & veræ, *quia DEO eas pla-* „ *cuit sic statuere.* Atque *placitum istud* (sive voluntas) quo „ hæcce statuit DEUS, concipiendum est, *ut indifferentissimum* „ ex naturâ suâ ad hæc vel statuenda, vel planè omittenda, vel „ etiam diversa decernenda; quo sanè modo vel nullæ, præter il- „ las, quæ ad ipsam DEI essentiam pertinent, veritates fuissent; „ vel omninò aliæ fuissent, quàm quæ sunt hodiè. Imò, quod „ plus est, ità DEUS horum omnium respectu concipiendus est, „ *ut postquam veritates illæ ideales, essentiales, propriæ, &c. ad* „ *tempus usque præsens duraverunt, potuerint deinceps immutari,* „ *aliæque vel nullæ prorsus statui, si hoc ei placuisset,* adeò ut,

quæ

quæ jam sunt, non sint in se & ex se immutabiles, tametsi pos- ,,
sint esse, ut reverà sunt, immutabiles ex placito DEI: nec ,,
enim habemus causam suspicandi, DEUM, illas statuentem, ,,
ad tempus eas statuisse, si quidem placeat ei suum ipsius placi- ,,
tum, & tanquam bona probet, quæcunque ipse vel fecit, vel ,,
statuit, neque sit, quod illas eà de causâ destruat, ut scilicet ,,
omnia à placito suo pendere ostendat illis, qui hâc gloriâ illum ,,
spoliant: nam & hi, cùm omnes mutatæ fuissent veritates, ,,
ipsi quoque fuissent mutati, neque etiam superfuissent cogni- ,,
tiones eorum. Id ipsum verò, quod in causam allegatum est, ,,
jam ostendit DEUS luculentissimis in omnium mentibus testi- ,,
moniis, quæ facilè est agnoscere, si ad sequentes demonstra- ,,
tiones benè attendatur: nam eæ in hoc principium resolvuntur, ,,
quod DEUS non sit confundendus cum illis quæ non sunt ,,
DEUS, sive, quod solus DEUS sit DEus; & effata assumpta ,,
ex suprà demonstratis sunt. *In Notâ:* Ut hoc benè intelliga- ,,
tur, considerandæ sunt veritates, de quibus agitur, & relativè ,,
ad DEUM, & relativè ad se ipsas. Quatenus, tanquam ad se ,,
ipsas relatæ, considerantur, sive cùm spectantur, quatenus à ,,
se sunt, ad se, per se, in se ipsis; tunc hoc respectu nihil ,,
sunt, nihil etiam habent, quo sint id, quod sunt, quo ab aliis ,,
distinguantur, quo durent magis vel minus, & continuent ali- ,,
quandiu vel semper, nihil quod impediat, quo minus DEUS ,,
in omnibus, quicquid lubet, agat, statuat, velit. At quando ,,
considerantur in respectu ad DEUM, ex hypothesi nempe, ,,
quod placuit DEO statuere, aliquas esse veritates, vel res, quæ ,,
ipsum aliæ minus, aliæ magis, aliæ maximè & quàm exactissi- ,,
mè repræsentarent: tunc realitatis, immutabilitatis, constan- ,,
tis & semper continuaturæ durationis fundamentum in DEO ,,
habent. Et *Lib. III. cap. IX. §. X. p. 387.* Atheum quen- ,, p. 120. 121.
dam, hunc in modum argumentantem, introducit: Si per- ,, & Amstel.
ceptio perfectissima necessariò aliud præter se percipit & noscit, ,, 1677. in 4to
sequitur, eam solam suæ intelligentiæ non sufficere, siquidem ,,
sine alterius, à se diversi, perceptione esse non possit. Quæ ,,
autem perceptio, alterius perceptione absente, non est perfe- ,,
cta, & perceptio non est summa, seu summè perfecta, nec est ,,
Entis summi. Subjungit autem hoc judicium: Cui difficulta- ,,
ti non video, quomodo satisfieri queat ab illis, qui rerum ,,
creatarum ideas *necessariò* in DEO esse, ab illo concipi scientiâ ,,

 simpli-

„ ſimplicis intelligentiæ, *independentesque eſſe ab ejus voluntate* „ ſibi perſuadent. In *Oeconomiâ divinâ Lib. I. cap. V. §. VII.* „ *p. 51. 52. & §. XXI.* Quodcunque DEUS ſemel decrevit, id „ æternum manet, & nullo tempore mutatur, quippe cùm ſit „ beneplacitum DEI. Nunquam autem placitum eſt DEO, be- „ neplacitum ſuum deſtruere: contradictionem enim infert, eſſe „ DEI beneplacitum beneplacito DEI adverſari. Adde, quod „ nihil in beneplacito DEI inveniatur, quod mereatur deſtrui. „ *Ibid. §. IV. & V. p. 49. 50.* Omnia DEO ſunt indifferentia. „ Nihilque ei eſt impoſſibile, nihil quo potentia ejus limitetur, „ quamcunque ille rem voluerit. Nihil ad eum, nihil ad divinæ „ eſſentiæ aut ideæ divinarumque virtutum perfectionem facit, „ utrum res ſint an non ſint, utrum in ſe ipſis & in conceptu „ ejus arbitrario ità ſint, an aliter? Iſthæc ei unum idemque ſunt. „ Nihil eſt quod eum tangat, nihil nexum neceſſarium cum eo „ habeat. Si DEUS velit rem aliquam eſſe, hoc ipſo eſt: ſi ve- „ lit eam eſſe hujusmodi, eſt hujusmodi: Si velit eam ad certum „ tempus in hoc ſtatu durare, indeque ad alium tranſire, id „ ipſum fiet. Quod ſi velit ei principium dare perpetuò ſubſi- „ ſtendi, ſubſiſtet perpetuò: Si principium agendi, aget: Si „ principium ſeſe producendi, producet ſeſe: Si principium ſeſe „ dirigendi, ipſa ſuæ directioni præerit: Si principium de cogi- „ tatis ſuis, deque felicitate ſuâ, quam ipſe ei oblaturus eſt, li- „ berè diſponendi, vel ſi inanis ſtatuendi, & hoc principium in „ ſe habebit. Si circumſtantias omnes omniaque eventa parti- „ cularia rerum futurarum & poſſibilium, antequam eveniant, „ in divino conceptu ſuo habere velit, fiet ita: at ſi ea illo de- „ mum tempore, quo geruntur, ibidem eſſe velit, & hoc erit: „ ſi verò ideam ſtatûs ac regiminis rerum, utut exiſtentium, in „ divino conceptu ſuo abſolutè habere nolit, ibidem eam non „ habebit, ſed ſciet quidem res exiſtere, de ceteris autem omni- „ bus cogitare non volet. Et ita quidem credo blasphemiæ „ horroresque & abominationes inferni ac damnatorum, con- „ ceptum DEI, in *felicitate arbitrariâ* cum beatis exſultantis, „ non attingent: Verùm ex quo DEUS radium quendam lumi- „ nis ſui in rerum ideas ac ſtatum emittere volet, omnia con- „ feſtim ei patebunt, qui de cetero extra hunc voluntatis ſuæ actum „ ſine omnibus eſſe poteſt, quippe *cùm nulla ei neceſſitas ſit de* „ *rebus aliis præterquam de ſe ipſo cogitandi*, ipſe ſibi ſui ſolius

cogni-

cognitione plenissimè sufficiens. Non dico tamen generaliter, „
posse res quasdam existere, quarum ideæ in DEO non sint. Id „
enim ne intelligi quidem potest; cùm res omnes sint imagines „
expressæ Idearum DEI. DEUS enim primitus quidem Ideas „
rerum constituit, deinde verò ad harum exemplar res ipsas for- „
mavit. At cavendum tamen est, ne ideas capitales, cum nu- „
mero, regimine, & circumstantiis eventisque particularibus „
omnium exemplorum aut imaginum, h. e. singularum rerum „
creatarum, hic confundamus. Sic DEUS v. gr. ideam rei in- „
telligentis, liberæ, corporeque ac facultate se ipsam procrean- „
di præditæ, h. e. ideam hominis constituit, quæ Idea, si in „
DEO non esset, nullus certè homo existere posset: at, cùm „
homines sint, audacter concludimus, ergò & in conceptu „
DEI datur idea hominis, h. e. creaturæ intelligentis, liberæ, „
ac se ipsam procreantis. At eadem tamen idea hominis, quæ „
in DEO est, non includit, quotnam actu exempla ejus ideæ, „
seu quotnam hominis in mundo sint futuri; nec quomodo „
singuli se gesturi sint, quid unusquisque facturus sit, & quæ- „
nam sint singulis eventura? DEUS quidem in eâ videt diver- „
sitates infinitas combinationum ac varietatum possibilium & „
idealium tum regiminis, tum habitudinum, tum propaga- „
tionum: Sed hoc ipso tamen homo ad particularia ista, veluti „
ad certum terminum propagationis, aut ad certum regiminis „
modum non determinatur. Idea hominis & hominis quidem „
creati, nihil horum, sed solam libertatem in genere, solum- „
que regimen possibile essentialiter ac necessariò includit; *unde* „
& post hominis constitutionem & creationem indifferens erit „
DEO, ideas particulares numeri, itemque combinationum, re- „
giminis & eventuum singularium & determinatorum, quæ in „
singulis divinæ ideæ exemplis, h. e. in hominibus existentibus, „
sunt, quando & quomodocunque volet, in conceptu suo arbi- „
trario admittere. Ista enim in ideâ hominis, quæ in DEO „
est, sigillatim non includuntur, uti dixi, imò nec possunt in „
eâ determinatè includi, si ponamus, quod verissimum est, „
hominem esse creaturam liberam, aut DEUM voluisse, ut „
creatura libera esset. Libertas enim hæc non minus determi- „
nationem prævenientem & necessariam excludit, quàm essen- „
tiæ divinæ perfectio, simulque *divini conceptûs arbitrarii li-* „
bertas, necessitatem excludunt absolutam, res omnes sigilla- „

„ tim

„ tim determinandi & prævidendi, ſive illæ in ſtatu realitatis „ maneant, ſive malo implicitæ in turbas & abominationes in- „ numeras incidant. Et quam neceſſitatem dicas, quæ DEUM „ cogat, tot ineptias & obliquitates alienas, quæ indeſinenter „ committuntur, in conceptu ſuo habere? Anne ſine iſtis minor „ erit DEI perfectio? *Si DEUS rem, quam exiſtentem vult, & „ perpetuò extituram, ità cognoſcere velit, ut poſteà de ſtatu ejus „ non inquirat, nec ideas particulares eorum, quæ ab eo gerun- „ tur, in conceptu ſuo habent, quidnam impediet, quo minus iſt- „ hæc ita fiant?* Non obſtabit utique divinæ eſſentiæ aut ideæ „ & cognitionis eſſentialis DEI perfectio; hæc enim omninò ſine „ illis ſubſiſtit, nulloque modò ab iis pendet. Non obſtabit per- „ fectio ideæ hominis: Hæc enim nihil horum includit, imò & „ idea libertatis ejusdem iſta excludit. Non obſtabit *divini con- „ ceptûs cognitio arbitraria: Hæc enim, cùm arbitraria ſit, quæ- „ cunque vult & quomodocunque vult, cognoſcit.* Non obſtabit „ denique ipſius rei natura abſoluta; hæc enim à ſe extrà divi- „ nam conſtitutionem nihil eſt. Ergone obſtabit perſuaſio ho- „ minum quorundam præoccupatorum, qui fortè rationibus „ quibusdam chimæricis præoccupati, nolent, rem ita eſſe? „ Quis eſt, qui conſilium DEI verbis imperitis obſcurat? age, „ præparet ſe, ac DEUM doceat rationem cognoſcendi; det & „ regulas: *& præter beneplacitum DEI* modos alios, quibus „ cum rebus externis agat, ei præſcribat? Quis fuit conſilia- „ rius DEI? quis dedit ipſi ante, (quis DEO eſſentiam, reali- „ tatem, veritatem, ideam, regulam ullius rei obtulit) & „ DEUS ei rationem reddet? HIOB. XXXVIII. 2. 3. Rom. XI. „ 34. 35. *In Iſagoge Libelli:* Vera & Cognitu omnium prima: „ *Arbitrium DEI extendit ad ipſas rerum eſſentias*, ſolamque „ DEI naturam & proprietates & operationes, ſine quibus na- „ tura divina & quæ in illâ ſunt, nec eſſe, nec rectè ab ullo con- „ cipi poſſunt, à voluntate divinâ excludit, & abſolutè neceſſa- „ ria facit, *negatque DEUM omnes ideas excogitaviſſe, quas „ poteſt vel potuit excogitare; ſed hodiè & in æternùm excogitare „ plures poſſe, idque in DEO ignorantiam nullam inferre;* cùm „ Ideæ, quas DEUS non excogitavit, excogitare tamen poſſet, „ idealiter etiam, nihil ſint; ignorari autem idealitatem ejus- „ demque in intellectu abſentiam & privationem involvat, *p. 33.* „ aſſerit, DEUM loco idearum, à ſe excogitatarum, potuiſſe

excogi-

excogitare alias atque nunc ſunt, *p. 34.* & *ideas, ſubjectivè in* „
DEO conſideratas, eſſe arbitrarium DEI conceptum, quatenus „
divinæ cogitationi placitum ſit, præter naturalem Sui in ſe ipſo „
ſuisque eſſentialibus contemplationem & delectationem, lude- „
re etiam ex arbitrio extra eandem ſuæ naturæ contemplatio- „
nem, idque facere DEUM per contemplationem variarum „
formarum, *pro lubitu ſuo excogitatarum,* quæ variæ formæ „
ſint τὸ *eſſe idearum formale & differentiale p. 36.* conſtituit „
etiam duplicem harum idearum finem; quorum primus ſup- „
ponat decretum creationis & productio ſit rerum ſecundùm illas; alter idem non ſupponat, & ſit repræſentatio divinarum perfectionum, e. gr. Ideæ, quatenus ex nihilo ſunt productæ, repræſentant divinam potentiam, quatenus unaquæque ſibi & omnes inter ſeſe convenienter formatæ ſunt, repræſentant divinam ſapientiam &c. *p. 37. ſeqq.*

THEOREMA LXXIV.

Principia Philoſophiæ §. 48, 57. Principium melioris.

Voluntas DEI eſt principium exiſtentiæ melioris.

Demonſtratio.

Cùm motiva DEI fortiora non ſint niſi plures majoresve perfectiones, *per theor. 64.* DEus in agendo conſtanter obſervat Legem Sapientiæ, *per def. 157.* conſequenter ſe ipſum infallibiliter determinat ad eligendum, inter plura, inæqualiter perfecta, id, quod gradu perfectionis ſuæ eminente ipſum ad ſui productionem quàm maximè inclinat, *per ax. 1.* h. e. optimum, *per def. 155.* In promtitudine igitur DEI perfectiſſimâ producendi infallibiliter repræſentationem adæquatam optimi, Exiſtentia melioris rationem ſufficientem invenit, *per ax. 1.* Ergò Voluntas DEI eſt principium exiſtentiæ melioris, *per def. 16. & def. 237.* Q. E. D.

Coroll. Exiſtentia non melioris eſt abſolutè poſſibilis, *per theor. 74.* adeoque omnes exiſtentiæ entium creatorum pertinent ad veritates contingentes, *per def. 23.* *Principia Philoſophiæ* §. 49, 51.

Scholion I. Hoc Theorema à PHILOSOPHO vocatur *Principium melioris, per def. 158.* Principium melioris.

Campanella. Scholion II. CAMPANELLA *Part. II. Metaphyſ. Lib. VII. cap. V. art. VIII. p. 147.* „ Malum non eſt in mundo, niſi reſpectu par-„ ticularium, ut ignis eſt malus terræ & homo ſerpenti, non „ autem reſpectu mundi, cui omnes partes concinunt: multo au-„ tem minus reſpectu DEI, cujus gratia factus eſt mundus. Utrum „ autem alios mundos fecerit extra iſtum meliores, aut factu-„ rus ſit, non intelligimus. Sed utrum res meliores, quàm quas „ videmus, poſſit; alii negant, quoniam ſapientia decrevit opti-„ mos effectûs & potentia efficit: alii dicunt cum D. THOMA, *D. Thom.* „ non eſſe limitatam DEI Sapientiam in rebus factis: & hoc ra-„ tionabilius eſt, ſi infinita eſt. Sed cur non fecerit MELIORA „ nemo intelligit, & qui putat alium eſſe Mundum & DEUM „ meliorem, ut SIMON MAGUS, non oſtendit. *Simon Magus.* Quapropter „ conjecturis urgemur neſcio quò. Interim hoc unum agnoſco, „ *quod quæ putamus mala bona ſunt*, & qui eorum uſum norûnt, „ id fatentur: qui verò ſui ſenſu rapiuntur, mala putant, quæ „ nocent ipſis, licet optima ſint aliis: bona verò, quæ utilia & „ delectabilia, licet aliis rebus mortifera ſint: qui autem phi-„ loſophatur in DEO, agnoſcit *ſingula Entia eſſe bona, omnia* „ *verò valde bona.*

Principia Philoſophiæ §. 47. Principium veritatum contingentium.

THEOREMA LXXV.

Voluntas DEI eſt principium veritatum contingentium.

Demonſtratio.

Cùm oppoſitum veritatum contingentium abſolutè quidem poſſibile, ſed inconveniens tamen ſit, *per def. 23.* illius exiſtentia non continetur in ſerie univerſi optimâ, quæ exiſtit, *per ax. 1.* & proinde productionem optimi non ingreditur, *per ax. 1.* Quare exiſtentia veritatum contingentium rationem ſufficientem invenit in promtitudine DEI perfectiſſimâ producendi repræſentationem adæquatam optimi, *per ax.* 1. Ergò Voluntas DEI eſt principium veritatum contingentium, *per def. 237. & def. 16.* Q. E. D.

THEO-

THEOREMA LXXVI.

Principia Philosophiæ §. 50.

Intellectus & voluntas animarum rationalium.

Intellectus & voluntas animarum rationalium, quatenus sunt perfectiones animarum, intellectum & voluntatem DEI repræsentant: quatenus autem illis adhærent imperfectiones, ex essentiâ animæ cujusvis propriâ fluentes, repræsentant propriam illius animæ naturam.

Demonstratio.

Quoniam intellectus animæ rationalis est facultas, distinctè repræsentandi possibilia quædam, *per def. 123. & def. 125.* perfectio illius involvit magnitudinem distinctæ repræsentationis possibilium, *per def. 140. & 145.* Quamobrem intellectus animæ rationalis, quatenus est perfectio animæ, eo magis accedit ad repræsentationem simultaneam & adæquatam simpliciter omnium possibilium, quo major est multitudo possibilium repræsentatorum, & graduum distinctionis in ipsâ repræsentatione, *per def. 37.* & proinde ex intellectu animæ rationalis, quatenus est perfectio animæ, inveniri potest intellectus DEI, *per def. 234.* Ergo intellectus animæ rationalis, quatenus est perfectio animæ, repræsentat intellectum DEI, *per def. 270.* Q. E. D.

Contrà cùm imperfectio intellectûs animæ rationalis involvat absentiam magnitudinis distinctæ repræsentationis possibilium, *per def. 160.* intellectus animæ rationalis, quatenus est ejusdem imperfectio, eo magis recedit à repræsentatione simultaneâ & adæquatâ omnium simpliciter possibilium, consequenter ab intellectu DEI, *per def. 234.* quo pauciora possibilia & quo minori distinctionis gradu eadem repræsentat, *per def. 37.* Sed ex imperfectionibus intellectûs animæ rationalis inveniri potest propria ejusdem natura, *per theor. 69.* Ergò intellectus animæ rationalis, quatenus imperfectiones illi adhærent, ex essentiâ animæ cujuslibet propriâ fluentes, repræsentat propriam animæ illius naturam, *per def. 270.* Q. E. D.

Voluntas animæ rationalis consistit in conatu producendi repræsentationem distinctam boni, ab intellectu prævisi, *per def. 13.* adeoque perfectio voluntatis involvit magnitudinem consensûs repræsentationis distinctæ boni, & tendentiæ ad ejusdem productionem, quatenus tendentia non sistit, nisi in productione optimi, *per def. 82. & def. 140. & def. 145.* Quare voluntas animæ rationalis, quatenus est animæ perfectio, eò magis accedit ad promtitudinem perfectissimam producendi repræsentationem adæquatam optimi, consequenter ad Voluntatem DEI, *per def. 237.* quo major est consensus (1) inter repræsentationem perfectionis objecti, & ipsum objectum repræsentatum, qui ex perfectione intellectûs pendet, (2) inter volitionem sive tendentiam & repræsentationem motivorum, (3) inter tendentiam unam & alteram, (4) inter tendentiam & potentiam illius executricem, *per def. 136. & def. 37.* & proinde ex voluntate animæ rationalis, quatenus est ejusdem perfectio, inveniri potest voluntas DEI *per def. 237.* Ergò Voluntas animæ rationalis, quatenus est perfectio animæ, repræsentat voluntatem Dei, *per def. 270.* Q. E. D.

Contrà imperfectio voluntatis animæ rationalis involvit absentiam magnitudinis consensûs inter repræsentationem distinctam boni, ab intellectu prævisi, & inter tendentiam ad ejusdem productionem, *per def. 160.* & per consequens Voluntas animæ rationalis, quatenus est imperfectio animæ, eò magis recedit à promtitudine perfectissimâ producendi repræsentationem adæquatam optimi, consequenter à Voluntate Dei, *per def. 237.* quo minor est consensus inter repræsentationem & objectum repræsentatum, inter tendentiam & repræsentationem motivorum, inter tendentiam unam & alteram, inter tendentiam & potentiam, executioni præsidentem, *per def. 136. & def. 37.* Sed ex imperfectionibus voluntatis animæ rationalis inveniri potest propria illius animæ natura, *per theor. 69.*

Ergò

Ergò Voluntas animæ rationalis, quatenus ei imperfectiones adhærent, ex essentiâ animæ cujuslibet propriâ fluentes, repræsentat propriam illius animæ naturam, *per def. 270.* Q. E. D.

THEOREMA LXXVII.

Principia Philosophiæ §. 53. Influxus Monadum mutuus idealis.

Actio sive influxus unius Monadis derivativæ in alteram non nisi idealis est.

Demonstratio.

MOnades derivativæ in agendo à se mutuò prorsus sunt independentes, *per theor. 15. & Schol.* consequenter nulla mutatio in Monade unâ produci potest ab aliâ eo modo, quo mutatio in corpore per motum producitur ab alio corpore, *per ax. 1. & def. 198.* Quamobrem actio unius monadis in alteram intelligi non potest, nisi interveniente Ideâ DEI opificis, qui in principio rerum, in unâ quâlibet monade rationes deprehendit, cur universum ordinans, illas elegerit monades possibiles ad existendum, quæ reliquis omnibus in statu possibilitatis jam erant adaptatæ per essentiam suam, ut id, quod distinctè in unâ cognoscitur inserviat rationi reddendæ, de eo, quod in aliâ contingit, & contrà ratio de eo, quod in ipsâ contingit, reperiatur in eo, quod distinctè cognoscitur in aliâ, *per def. 93.* Ergò actio sive influxus unius Monadis derivativæ in alteram non nisi idealis est, *per. def. 64.* Q. E. D.

Scholion. Qui præter actionem idealem dari etiam posse adhuc aliam arbitrantur, fateri tamen coguntur, se nullum adhuc illius influxûs habere potuisse conceptum. Illud satis liquet, absolutam Monadum à se invicem independentiam in Systemate Leibnitiano, non nisi cum ideali in se invicem actione consistere posse. Ita ipse PHILOSPHUS *Tom. II. du Recueil. p. 330.* Les causes secondes agissent veritablement, mais sans aucune influence d' une „ substance simple créée sur une autre ; & les ames s' accordent „ avec les corps & entre elles en vertu de l' harmonie préétablie, „

„ & nullement par une influence physique mutuelle ; sauve *l'u-* „ *nion metaphysique de l' Ame & de son corps*, qui les fait compo- „ ser *Unum per se :* un Animal, un Vivant. On a donc eu „ raison de refuter le sentiment de ceux, qui nient l' action des „ causes secondes ; mais il faut le faire sans renouveller les faus- „ ses influences tellesque sont les espéces de l' ecole.

Principia Philosophiæ §. 18. Monas automaton incorporeum.

THEOREMA LXXVIII.

Omnis Monas derivativa est Automaton naturale incorporeum.

Demonstratio.

Cùm mutationes Monadum derivativarum non tantùm naturaliter continuæ sint, *per theor. 23.* sed & omnes proficiscantur à principio interno, *per theor. 24.* omnes cujuslibet monadis derivativæ mutationes inveniunt rationem sufficientem in se mutuo, ita ut in mutatione præcedenti sit ratio sufficiens existentiæ mutationis consequentis *per ax.* 1. *&* 2. & proinde omnes alicujus monadis derivativæ mutationes in essentiâ illius monadis indivisibili rationem sufficientem agnoscunt, *per def. 85. & 86.* Ergo omnis Monas derivativa est Automaton naturale incorporeum, *per def. 214.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius.

Scholion I. Ita vocat LEIBNITIUS in Journal des Sçavans cIↃ IↃcxcvii. mense Julio p. 338. cIↃ IↃcx p. 459. in Theodicæâ *Part. I. §. LII. p. 163. Part. III. §. CCCCIII. p. 603.* Distinctius autem, à me monitus, sententiam suam explicat in aulâ librariâ (Bücher-Saal) Lipsiæ editâ 1711. *in Octavo.*

Scholion II. Nisi mutationes Monadum derivativarum rationem sufficientem existentiæ suæ in se invicem agnoscerent, in monadum mutationibus minus realitatis & consensûs, conseq. & perfectionis, *per Scholion def. 140.* foret, quàm in motibus corporum, immò & Machinæ cujuslibet artificialis, in quâ omnes motûs consequentes, fundantur in antecedentibus. Cave tamen somnies, LEIBNITIUM Animas hoc ipso facere *Rotas Machinæ Mundanæ corporeæ.* Pertinent enim Animæ humanæ ad Regnum non physicum, sed morale, & proinde partes sunt universi creaturarum, ut Civitatis divinæ, non ut Machinæ corporeæ divinæ.

THEOREMA LXXIX.

Monas derivativa perfectior, respectu Monadis derivativæ imperfectioris, agit; & Monas derivativa imperfectior, respectu Monadis derivativæ perfectioris, patitur.

Principia Philosophiæ §. 51, 52. Actiones & Passiones Monadum derivativarum.

Demonstratio.

IN Monade derivativâ perfectiore distinctè cognoscitur ratio mutationis, in Monade imperfectiore factæ, *per def. 146.* Sed mutatio entis, dicitur actio respectu entis, quod illius mutationis rationem continet, & passio respectu Entis, extra quod mutationis ratio datur, *per def. 64.* Ergo Monas derivativa perfectior, respectu monadis derivativæ imperfectioris, agit; & monas derivativa imperfectior, respectu Monadis derivativæ perfectioris, patitur. Q. E. D.

THEOREMA LXXX.

Actiones & Passiones creaturarum mutuæ sunt.

Principia Philosophiæ §. 54. Actiones & Passiones creaturarum mutuæ.

Demonstratio.

CReatura una continet rationem mutationis, quæ contingit in alterâ, *per theor. 79.* Ergo actiones & passiones creaturarum mutuæ sunt, *per def. 64.* Q. E. D.

THEOREMA LXXXI.

Numerus universorum possibilium in intellectu DEI est infinitus.

Principia Philosophiæ §. 55. Numerus universorum possibilium infinitus.

Demonstratio.

INtellectus Dei simul & adæquatè repræsentat possibilia simpliciter omnia *per def. 234.* adeoque omnes etiam combinationes possibilium compatibilium & incompatibilium possibiles, *per ax. 1.* Quare intellectus DEI repræsentat multitudinem combinationum possibilium, quæ secundùm locum

&

& tempus connecti possunt, cui nullus numerus æqualis assignari potest. Ergo Numerus universorum possibilium in intellectu DEI est infinitus, *per def.* 222. *& def.* 58. Q. E. D.

Laurentius Valla. God. Guil. Leibnitius.

Scholion. Mirificè hoc Theorema illustrat LAURENTII VALLÆ Dialogus de Libero Arbitrio, BOETHIO oppositus, prout eundem PHILOSOPHUS noster in Theodicæâ secundùm principia sua continuat. *Part. III. §. CCCCXIII. -- CCCCXVII. p. 613. -- 620.*

Principia Philosophiæ §. 55. Universum existens Unicum.

THEOREMA LXXXII.

Ex universis possibilibus unicum tantùm existere potest.

Demonstratio.

SI negas; ponamus, ex universis possibilibus duo simul posse existere. Quodlibet igitur eorum non involvit seriem possibilium, secundùm omnia loca & omnia tempora inter se connexorum, quod evertit hypothesin, *per def.* 222. Ergò ex universis possibilibus non nisi unicum existere potest, *per ax.* 1. Q. E. D.

G G. Leibnitius.

Scholion. LEIBNITIUS *in Theodicæâ Part. I. §. VIII. p. 116.* „ MUNDUM voco totam seriem totamque collectionem re„ rum omnium existentium, ne dicat aliquis, mundos plures „ existere potuisse diversis temporibus & locis, nam omnes simul „ pro uno Mundo, vel, si mavis, pro uno universo computandi „ forent.

Coroll. I. Non omne, quod possibile est, etiam est actuale.

Abælardus, Wiclefus. Bæyle. Jo. Launosius. Bernardus. Galterus.

Scholion I. ABÆLARDUS, quem imitatus est WICLEFUS, docuit, *nihil esse possibile, nisi quod sit actuale.* Vid. BÆLIUS Dictionaire art. BERINGER *p. 562. col. 2.* Notat JO. LAUNOJUS de Variâ ARISTOTELIS fortunâ in Academiâ Parisiensi, hunc ABÆLARDUM quàm maximè amâsse Philosophiam Aristotelicam, eique BERNARDUM in Epistolâ ad INNOCENTIUM II. Dialecticam ARISTOTELIS exprobrâsse, citans libros quatuor GALTERI, Prioris Sancti Victoris contrà hæreses,

in

in conciliis damnatas, quas Sophiſtæ ABAELARDUS, LOMBARDUS, PETRUS PICTAVINUS & GILBERTUS PORRETANUS ſententiarum ſuarum Libris acuunt, limant, roborant, *cap. III. p. 29. ſeq.* Aſſumpſit hanc hypotheſin HOBBESIUS ex principio, quod nullum à DEO non electum, cadat ſub potentiam DEI: in ſpecie autem HOBBESIUS negat præſto eſſe requiſita futuritionis in eventibus non futuris, indeque infert, *id omne, cujus requiſita omnia, ad id, ut fiat, non ſunt præſto, eſſe impoſſibile*: Cùm tamen actio ſit poſſibilis, ſi requiſita omnia ad eam præſtandam per facultatem agentium liberorum adeſſe poſſint, utut nunquam adſint, ſi vel poteſtas agendi vel volitio deſint. Conferatur LEIBNITIUS *in Theodicæâ Parte II. §. CLXXII. p. 335.* SPINOZA ſupponit, *omne quod non fit involvere contradictionem*, conſequenter, *quicquid hic & nunc fit, fieri abſolutè neceſſariò & proinde ſine electione.* *Thom. Hobbeſius.* *G. G. Leibnitius.* *Bened. Spinoza.*

Scholion II. Optimè LEIBNITIUS in Epiſtolâ ad Abbatem NICASIUM de Philoſophiâ CARTESII: dans le Journal des Sçavans pour l' année *1697. p. 441. ſeq.* Si tout poſſible „ doit arriver, & s' il n' y a point de fiction, quelque abſurde & „ indigne qu' elle ſoit, qui n' arrive en quelque tems ou en quel- „ que lieu de l' Univers, il s' enſuit qu' il n' y a ni choix ni provi- „ dence, que ce qui n' arrive point eſt impoſſible, & que ce qui „ arrive eſt neceſſaire juſtement comme HOBBES & SPINOSA „ le diſent en termes plus clairs: auſſi peut-on dire, que SPI- „ NOSA n' a fait que cultiver certaines ſemences de la Filoſofie „ de Monſieur DES-CARTES: de ſorte que je crois qu' il im- „ porte effectivement pour la religion & pour la pieté, que cete „ Filoſofie ſoit chatiée par le retranchement des erreurs qui ſont „ mêlées avec la verité. Ceterum de ſummis CARTESII in Philoſophiam meritis honorificè ſentit LEIBNITIUS, eumque in religione ſuâ ſincerum fuiſſe, perſuaſus eſt, *loc. cit. p. 441. 616. 624. 625.* Videatur ipſe CARTESIUS *Part. III. Pr. Phil. §. XLVII. p. 66.* „ Vix aliquid ſupponi poteſt, ex quo non idem „ effectus (quanquam fortaſſe operoſius) per eaſdem naturæ le- „ ges deduci poſſit: cum enim illarum ope materia formas omnes, „ quarum eſt capax, ſucceſſivè aſſumat, ſi formas iſtas ordine „ conſideremus, tandem ad illam, quæ eſt hujus mundi, pote- „ rimus devenire: adeò ut hìc nihil erroris ex falsâ ſuppoſitio- „ ne ſit timendum. „ *Nicaſius.* *Ren. Carteſius.*

R Coroll.

Coroll. II. Ab inconvenientiâ exiſtentiæ ad impoſſibilitatem objecti non exiſtentis non valet Conſequentia.

Coroll. III. Univerſum quodlibet poſſibile non eſt Totum *per def. 36.* ſicut numerus infinitus nec par eſt nec impar; quia non eſt totum.

Scholion. Corollare hoc ſæpe inculcâſſe & ad objectiones, à me propoſitas, urſiſſe PHILOSOPHUM recordor.

Coroll. IV. Univerſum non poteſt dividi in duas æquales partes.

Aſinus Buridani. Michael de Montagne.

Scholion. In hoc Corollario fundatur impoſſibilitas Aſini BURIDANI, quo de conferatur BAYLE Dictionaire art. BURIDANUS *p. 742. col. 1. 2.* MICHAEL MONTANUS Eſſais *Lib. II. c. XIV. Tom. II. p. 340.* „C' eſt une plaiſante imagination, „ de concevoir un eſprit balancé juſtement entre deux pareilles „ envies. Car il eſt indubitable, qu' il ne prendra jamais party: „ d' autant, que l' application & le choix parte inequalité de prix; „ & qui nous logeroit entre la bouteille & le jambon avec égal „ appetit de boire & de manger, il n' y auroit ſans doute remede, „ que de mourir de ſoif & de faim. Pour pourvoir à cét inconve„ nient, les Stoiciens, quand on leur demande, d' où vient en „ noſtre ame l' election de deux choſes indifferentes, (& qui fait, „ que d' un grand nombre d' eſcus nous en prenions pluſtoſt l' un „ que l' autre, n' y ayant aucune raiſon, qui nous incline à la „ preference) reſpondent; que ce mouvement de l' ame eſt extra„ ordinaire & desreglé, venant en nous d' une impulſion eſtran„ gere, accidentale, & fortuite. Il ſe pourroit dire, ce me ſem„ ble, pluſtoſt, qu' aucune choſe ne ſe preſente à nous, où il „ n' y ait quelque difference, pour legere, qu'elle ſoit: & que „ ou à la veüe, ou à l' attouchement il y a toûjours quelque „ choix, qui nous tente & attire, quoyque ce ſoit imperceptible„ ment. Addatur LEIBNITIUS *in Theodicæâ Part. I. §. XLIX. p. 161. 162. Part. III.* §. *CCCV. p. 494.*

G. G. Leibnitius.

Indifferentia Carteſii.

Coroll. V. Non datur indifferentia æquilibrii in univerſo creaturarum.

Scholion. CARTESIUS Indifferentiam non pro perfectione ſed im„ perfectione Libertatis agnoſcit. *P. II. Epiſt. LIV. p. 208.* Indif„ ferentia mihi, inquit, propriè ſignificat ſtatum iſtum, in quo „ voluntas reperitur, cùm illa non fertur ullâ cognitione veri

aut

aut boni ad partem unam potius quàm aliam amplectendam; „ illamque hoc sensu sumpsi, ubi dixi infimum Libertatis gradum „ in hoc consistere, quod possimus nosmet determinare ad res eas, „ ad quas *sumus prorsus indifferentes*. Homo eo magis indifferens „ est, quo pauciores rationes novit, quæ illum ad partem unam po- „ tius quàm aliam amplectendam moveant: quod quidem à ne- „ mine negari posse mihi videtur, *Part. I. Epist. CXII. p. 360.* „ *Ep. CXV. p. 370.* E sensu autem hujus indifferentiæ, illius exi- „ stentiam demonstrari non posse, (prout facit CARTESIUS *Part. I. Princip. art. XXXIX. p. 10.)* LEIBNITIUS ostendit, *Part. III. Theodic. §. CCCV. p. 494. coll. §. CCXCII. p. 480. CCXCIX. p. 486. seqq.* Videatur etiam *infrà Theorema 96. Schol. 4.*

Coroll. VI. DEUS non esse potest anima Mundi, *per cor. 3. & def. 222.*

Scholion. In hoc Corollario LEIBNITIUS prærogativam suæ Philosophiæ piæ Platonicâ constituere solebat. Vid. etiam Theodicæa *Part. II. §. CXCV. p. 366.* Prærogativa philosophiæ Leibnitianæ.

THEOREMA LXXXIII.

Principia Philosophiæ §. 56, 57. Universum existens Optimum.

Universum existens inter universa possibilia est optimum.

Demonstratio.

UNniversum existens rationem sufficientem existentiæ suæ agnoscit in substantia necessaria, *per theor. 47.* cujus voluntas inter plura, inæqualiter perfecta, infallibiliter eligit existentiam optimi, *per principium melioris, theor. 74.* Ergo universum existens inter universa possibilia est Optimum, *per ax. 1.* Q. E. D.

THEOREMA LXXXIV.

Principia Philosophiæ §. 58, 62. Essentia monadum derivativarum universi repræsentativà.

Essentia Monadis derivativæ est repræsentativa illius universi, cum quo in intellectu DEI jam connexa est idealiter.

Demonstratio.

MOnas derivativa prædita est perceptione, *per theor. 28.* adeò-

adeòque repræſentat multitudinem quandam, extrà ſe poſitam, in ſubjecto individuo, *per def. 99.* Sed hanc repræſentare non poteſt in ſe ipsâ, niſi ſecundùm partem aliquam multitudinis, quam immediatè repræſentat, *per def. 100.* Quare omnis monas derivativa repræſentat illam multitudinem, cujus partem immediatè repræſentat, & ſecundùm connexionem illius cum multitudine, multitudinem ipſam, & proinde Monas derivativa, repræſentando multitudinem externam, ſecundùm partem ejus aliquam, repræſentat aggregatum compoſitorum omnium, ſecundùm locum & tempus inter ſe connexorum, *per ax.* 1. hoc eſt Univerſum, *per def. 222.* Jam verò Monas derivativa eſt ſubſtantia finita, *per cor. def. 88. cor. theor. 21. & theor. 26.* conſequenter illius eſſentia in omnibus realitatibus ſuis eſt limitata, *per def. 79.* Quare Monas derivativa etiam in repræſentatione univerſi eſt limitata, *per ax.* 1. Ergò Monas derivativa non repræſentat univerſum qundcunque poſſibile, conſequenter illud tantùm, cum quo connexa eſt; & quidem *idealiter*, quatenus univerſum illud, cum quo connexa eſt, in ſtatu meræ poſſibilitatis ſpectatur, *actualiter*, quatenus idem in ſtatu exiſtentiæ conſideratur. Non poteſt autem Monas derivativa ſine omni perceptione ſubſiſtere, *per theor. 32.* adeoque modus, quo Monas derivativa eſt poſſibilis, conſiſtit in repræſentatione, *per def. 99.* & quidem univerſi alicujus, cum quo Monas derivativa in intellectu DEI jam connexa eſt idealiter, *per demonſtrata.* Ergò Eſſentia Monadis derivativæ eſt repræſentativa illius univerſi, cum quo in intellectu DEI jam idealiter eſt connexa, *per cor. def. 12.* Q. E. D.

Præſentia Monadum in univerſo.

Coroll. I. Præſentia Monadis derivativæ in univerſo cognoſcitur ex repræſentatione univerſi, eſſentiæ ſuæ repræſentatrici conveniente.

Præſentia animæ humanæ.

Coroll. II. Præſentia animæ humanæ cognoſcitur ex repræſentatione rerum per ſenſationes.

Scholion

Scholion I. Viderint alii, an, quæ de Puncto habet CAMPANELLA, Leibnitianis similia sint. Ita ille in quæst. Physiolog. Append. *ad quæst. VII. Tom. II. Oper. p. 35.* Si accipiatur Punctum „ in Spatio Mathematico similiter statim habet partes. Nam „ *respicit* ad varias spatii & *quasi mundi posituras.* Ergò cum „ alius sit respectus ad Orientem, alius ad Occidentem, & *immineri respectûs ad alias partes:* consequens est, ut etiam in spa- „ tio demus punctis *partes respectivas*, etsi negemus, punctum „ in se posse partiri. Similiter in mundo mentali non licet ima- „ ginari punctum impartibile secundùm loci positiones, sed tan- „ tùm secundùm soliditatem. — *Thomas Campanella.*

Scholion II. Hinc de Perceptionibus animæ nostræ ita LEIBNITIUS dans sa Replique aux Reflex. de Monsr. BAYLE *Tom. II. du Recueil. p. 409.* Les pensées confuses ne manquent jamais „ d'accompagner les plus distinctes, que nous pouissions avoir. „ Elles enveloppent toûjours l'infini & non seulement ce qui se „ passe en nôtre corps, mais encore par son moyen, ce qui arrive „ ailleurs. — *God. Guil. Leibnitius.*

Coroll. I. Nulla Monas derivativa existens absolutè necessariò existit: quatenus repræsentat Universum, quod è pluribus universis, absolutè possibilibus, liberè à DEO electum, existit contingenter, *per theor. 83.* — Existentia Monadum derivativarum contingens.

Coroll. II. Si aliud elementatum, alia sunt Elementa; si alius Mundus, aliæ sunt Monades, *per theor. 6.*

Scholion. Nervosè hoc Corollarium ex mutationibus Monadum continuis probat CL. BüLFFINGERUS in Dilucid. philosophicis *Sect. II. cap. IV. §. CLXXXVII. p. 182.* Ens à se est per es- „ sentiam determinatum ad existendum: elementa non sunt per es- „ sentiam determinata ad existendum; mutantur enim quoad sta- „ tum suum intrinsecum. Igitur Elementa non sunt à se. „ — *G. B. Bülffingerus.*

THEOREMA LXXXV.

Principia Philosophiæ §. 59.

Quælibet Monas derivativa illud universum, cum quo connexa est, repræsentat alio modo.

Repræsentatio universi unici diversimoda.

Demonstratio.

OMnis Monas derivativa repræsentat universum, cum

quo connexa eſt, ſecundùm partem illius aliquam, cum reliquis connexam, ſed ab iisdem tamen diverſam, *per theor. 84.* Ergò quælibet Monas repræſentat univerſum illud, cum quo connexa eſt, diverſo modo, *per ax.* 1. Q. E. D.

Coroll. Unicum Univerſum infinitis modis diverſis repræſentatur.

F. H. Tſchirnhauſius. Scholion. Recordor non ſine voluptate, Per-illuſtrem Dominum EHRENFRIEDUM WALTHERUM de TSCHIRNHAUS ſæpè illud in ore habuiſſe: *Univerſum ſuprà omnem modum ſimplex, & ſimul tamen fæcundum eſt.* Add. G. G. LEIBNITIUS in Theodicæâ *Part. II. §. CCVIII. p. 383.* *G. G. Leibnitius.*

Principia Philoſophiæ §. 62. coll. y.

Differentia interna Monadum derivativarum.

THEOREMA LXXXVI.

Differentia interna Monadum derivativarum conſiſtit in gradu perfectionis eſſentialis repræſentandi unum idemque Univerſum.

Demonſtratio.

Eſſentia Monadis derivativæ eſt repræſentativa alicujus univerſi, *per theor. 84.* adeoque perfectio eſſentialis Monadum derivativarum in gradu diſtinctionis repræſentationis conſiſtit, qui totam univerſi repræſentationem immutat, *per def. 141.* Ergò differentia interna Monadum derivativarum conſiſtit in gradu perfectionis eſſentialis repræſentandi unum idemque Univerſum, *per ax. 1.* Q.E.D.

Species Monadum derivativarum: (1) Elementa rerum, Viva ſimpliciter; (2.) Animæ ſenſitivæ; (3.) Animæ rationales.

Scholion I. Hâc viâ detectæ ſunt hactenus tres Monadum derivativarum diverſæ ſpecies. Infimam conſtituunt *Elementa rerum,* ſive *Viva* ſimpliciter, quæ infinitas ſpecies ſubalternas complecti, ex compoſitorum, in quæ actu ingrediuntur, eſſentiali diverſitate nobis innoteſcit. Mediam *Animæ Senſitivæ,* quas iterum infinitas ſpecies ſubalternas continere poſſe, ex animantium externâ differentiâ colligere pronum eſt. Supremam denique abſolvunt *Animæ rationales;* ſive *Spiritûs creati,* quos iterum infinitas ſpecies ſubalternas admittere, Analogia ſuadet. In infimâ ſpecie nihil eſt in totâ univerſi repræſentatione, reſpectu ipſius monadis derivativæ, diſtincti: in mediâ in totâ repræſentatione aliqua eſt diſtin-

diſtinctio, propter claritatem repræſentationum partialium: in ſupremâ denique in partialibus etiam repræſentationibus quædam eſt diſtinctio. Omnes autem hæ ſpecies monadum derivativarum in hoc quàm maximè differunt à MONADE ORIGINARIA eſſentialiter; quod hæc ſola atque unica repræſentationis adæquatæ omnium univerſorum poſſibilium capax eſt. Monas Originaria.

Scholion II. Analoga his habet BOETHIUS de Conſolatione Philoſophiæ *Lib. V. Prosâ V. Oper. p. 1110.* Senſus ſolus immobilibus animantibus ceſſit, quales ſunt conchæ maris; imaginatio verò mobilibus beluis, quibus jam ineſſe fugiendi appetendive aliquis videtur affectus: ratio verò humani tantùm generis eſt; ſicut intelligentia ſola divini. *Sever. Boëthius.*

Scholion III. Hìc noto: (1.) ex mente PHILOSOPHI ſpecies Monadum derivativarum non ita reſpicere Monadata, in quæ ingrediuntur, ut fieri non poſſit, quin inter Elementa compoſiti alicujus ſint Monades, non nudæ tantùm, ſed & animæ ſenſitivæ, & tales etiam, quæ aliquando futuræ ſint rationales. Ita memini LEIBNITIUM, cum Lipſiæ me conveniret & potu *Caffée* cum lacte, quo quàm maximè delectabatur, uteremur ambo, in diſcurſu de hoc argumento inter alia dixiſſe: *ſe determinare non poſſe, annon in hocce vaſculum, è quo potum hauriebat calidum, Monades ingrederentur, quæ ſuo tempore futuræ ſint animæ humanæ.* (2.) TSCHIRNHAUSIUM firmiter perſuaſum fuiſſe, CARTESIANOS contra principia CARTESII negare animarum in Brutis exiſtentiam, & CARTESIUM cogitationem etiam brutis concedere per principia ſua neceſſum habere. *God. Guil. Leibnitius.* *E. H. Tſchirnhauſen.*

THEOREMA LXXXVII.

Principia Philoſophiæ §. 59. coll. 15. Appetitus Monadum derivativarum medium repræſentationis univerſi.

Appetitus eſt medium naturale in monadibus derivativis unicum univerſum infinitis modis diverſis repræſentandi.

Demonſtratio.

QUandoquidem eſſentia Monadis derivativæ univerſi illius, cum quo connexa eſt, repræſentativa eſt, *per theor. 84.* conatus monadis derivativæ ad novas illius univerſi repræſentationes producendas, in ſolâ cujuslibet monadis

nadis derivativæ eſſentiâ eſt fundatus, *per ax. 1.* Quamobrem in conatu monadis alicujus derivativæ datur ratio ſufficiens cur repræſentatio hæc non alia quæcunque universi unius ejusdemque, ſuccedat hic & nunc repræſentationi alteri. Ergo appetitus monadis derivativæ eſt medium naturale unicum univerſum infinitis modis diverſis repræſentandi, *per def. 98. & def. 151.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 22. Statuum Monadum derivativarum conſecutio.

THEOREMA LXXXVIII.

Status præſens Monadis derivativæ naturaliter conſequitur ex præcedenti.

Demonſtratio.

Cûm Monas derivativa vi prædita ſit, *per theor. 25.* ſe ipſam ad hanc vel illam facultatem ſuam in actum deducendam determinat, *per def. 83. & cor. 1. def. 96.* adeoque omnes perceptiones partiales Monadis alicujus derivativæ conſequentes rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ agnoſcunt in perceptionibus partialibus præcedentibus, quæ ſcilicet ſingulis partialibus conſequentibus reſpondent, *per theor. 30.* & proinde etiam perceptio totalis conſequens rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ invenit in perceptione totali præcedenti. Ergo Status præſens Monadis derivativæ naturaliter conſequitur ex præcedenti, *per def. 165.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 23.

Coroll. Perceptiones animæ noſtræ, quarum nobis conſcii ſumus, è Stupore evigilantes, præſupponunt perceptiones immediatè præcedentes, quarum nobis non fuimus conſcii; & præſentes perceptiones diſtinctæ ab anima noſtrâ non elicerentur, niſi præceſſiſſent hæ, non aliæ, in pueritia confuſæ, vel obſcuræ.

THEO-

THEOREMA LXXXIX.

Principia Philosophiæ §. 36, 52. 63.

Status præsens monadum derivativarum.

Statum quemlibet præsentem Monadis derivativæ ingreditur infinitudo exiguarum perceptionum, quæ omnes concurrunt ad determinationem perceptionum infinitarum, statum consequentem absolventium.

Demonstratio.

PErceptio totalis alicujus Monadis derivativæ est repræsentativa universi, *per theor. 84.* & proinde etiam Status quilibet præsens ejusdem Monadis, *per def. 165.* Sed quod universum repræsentat, in illud ingrediuntur repræsentationes numero infinitæ omnium corporum universi, inter se connexorum, *per ax. 1.* Ergo Statum quemlibet præsentem Monadis derivativæ ingreditur infinitudo exiguarum perceptionum, quæ omnes concurrunt ad determinationem perceptionum infinitarum, statum consequentem absolventium, *per theor. 88.* Q. E. D.

Coroll. I. Anima rationalis sibi nunquam statûs sui præsentis adæquatè conscia est, quatenus perceptiones obscuræ sunt infinitæ & minus discernibiles perceptionibus confusis, & hæ distinctis.

Coroll. II. Intellectus animæ rationalis nunquam est purus, & proinde in nullâ repræsentatione ejusdem totali omnia ita distincta sunt, ut nihil adsit simul confusi & obscuri: Ratio semper mixta est consecutioni perceptionum, & voluntas nunquam est sine omnibus affectibus. — Intellectus purus. Ratio mixta.

Coroll. III. Non datur *Oblivio propriè sic dicta;* quatenus vestigia perceptionis alicujus, semel à monade derivativâ productæ ab intellectu infinito in perceptionibus consequentibus semper inveniri possunt. — Oblivio nulla.

Scholion. LEIBNITIUS *Tom. II. du Recueil. p. 405. seq.* L'Ame, „ toute indivisible qu' elle est, renferme une tendence compo- „ sée, c' est à dire, une multitude de pensées presentes, dont cha- „ cune tend à un changement particulier, suivant ce, qu' elle ren- „ ferme, & qui se trouvent en elle tout à la fois, en vertu de son „ — *G. G. Leibnitius.*

S „rapport

„ rapport essentiel à toutes les autres choses du Monde. add. *pag.* *407. seq.* & Journal des Sçavans 1698. *p. 339. 340.* Exemplo Theorema hoc illustrat CL. BüLFFINGERUS in Dilucidat. Philosoph. *Sect. III. cap. IV. §. CCCXLVI. p. 359. seq.*

G. B. Bülfingerus.

Principia Philosophiæ §. 36. Status præsens corporum.

THEOREMA XC.

Statum quemlibet præsentem corporis ingreditur infinitudo figurarum & motuum.

Demonstratio.

Cùm status cujuslibet corporis præsens componatur ex omnibus motibus, quos partes ejus minimæ recipiunt à corporibus ambientibus, proximis & remotioribus, maximis & minutissimis, quatenus illi omnes ad determinationes motuum sequentium efficienter concurrunt, *per def.* 195. statum quemlibet præsentem alicujus corporis ingreditur infinitudo motuum imperceptibilium, minimarum partium, & figurarum etiam, in partibus motis, *per ax.* 1. Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 59. Situs Monadum diversus in universo.

THEOREMA XCI.

Diversitas repræsentationis unius ejusdemque universi in quâlibet Monade derivativâ est principium diversi monadis derivativæ in universo sitûs.

Demonstratio.

Monas derivativa una existit extrà reliquas omnes, & peculiarem, ad coëxistentes relata, ab iisdem servat distantiam, *per cor. def. 35. & theor.* 19. & proinde quælibet monas derivativa in universo, cum quo idealiter jam connexa est, certum agnoscit ordinem coëxistendi reliquis, *per def. 56.* Quare in quâlibet monade adest ratio sufficiens, ex quâ intelligi potest, cur existentia ejus hanc potius quàm aliam ad coëxistentiam reliquarum monadum agnoscat relationem, *per ax.* 2. Sed essentia Monadis derivativæ est re-

præ-

præsentativa universi *per theor. 84.* & quidem essentia cujuslibet monadis derivativæ est unius ejusdemque universi diverso modo repræsentativa, *per theor. 85.* consequenter ratio sufficiens sitûs monadis alicujus in universo diversi datur in diversitate repræsentationis illius universi, *per def. 60.* Ergò diversitas repræsentationis unius ejusdemque universi in quâlibet Monade derivativâ est principium diversi Monadis derivativæ in universo sitûs, *per def. 16.* Q. E. D.

Scholion. Ex principiis Perspectivæ PHILOSOPHUS diversitatem Situs Monadum derivativarum in uno eodemque universo illustrat. Sicut enim in Perspectivâ tot diversa dantur *Puncta Visûs,* (Aug = Puncte) quot diversæ sunt scenographicæ repræsentationes unius ejusdemque objecti: ita similiter tot diversi dantur sitûs monadum in universo, quot diversæ fiunt unici universi in singulis monadibus repræsentationes. *Principia Philosophiæ. §. 58.* Puncta Visûs Monadum.

THEOREMA XCII.

Universum maximo gaudet ordine.

Principia Philosophiæ §. 56. 60. 66. Ordo universi maximus possibilis.

Demonstratio.

Cùm universum involvat collectionem omnium locorum & omnium temporum *per theor. 82.* in illo continetur similitudo coëxistentium & succedentium, ex cujus lege intelligi & explicari potest cur hoc non aliud, huic non alii coëxistat, vel succedat, *per def. 61. & def. 67.* Sed, quod continet similitudinem talem in coëxistentiis & mutationibus, ex certâ lege cognoscibilem, illud maximo gaudet ordine, qui possibilis est, *per def. 56. & def. 66.* Ergò universum maximo gaudet Ordine. Q. E. D.

Coroll. Chaos excludit ordinem *per coroll. def. 69.* Ergo in rerum Universitate nullum datur Chaos *per theor. 92.* *Principia Philosophiæ §. 72.* Chaos nullum.

Scholion. LEIBNITIUS *Tom. II. du Recueil. p. 188.* Il n' est pas „ possible que l' Univers entier ne soit pas bien reglé, la prévalen- „ ce en perfections, étant la raison de l' existence de ce systeme „ des choses, preférablement à tout autre Systeme possible. Ain- „ si les desordres ne sauroient être que dans les parties. „ *G. G. Leibnitius.*

Principia Philosophiæ §. 58. Perceptionum consensus universalis.

THEOREMA XCIII.

Quælibet perceptio Monadis derivativæ involvit ejusdem consensum cum illo universo, cum quo idealiter in intellectu DEI jam est connexa.

Demonstratio.

PErceptio quælibet Monadis derivativæ respicit omnes perceptiones reliquarum monadum universi alicujus, quatenus una monas in aliam non, nisi idealiter, agere potest, *per theor. 77.* & actiones tamen atque passiones mutuæ sunt, *per theor. 80.* & in perceptionibus consistunt, *per theor. 28.* adeoque singulæ perceptiones consentiunt cum omnibus perceptionibus monadum coëxistentium *per ax. 1.* Ergo quælibet perceptio monadis derivativæ involvit consensum cum illo universo, cum quo idealiter in intellectu DEI jam est connexa. Q. E. D.

Coroll. Quælibet perceptio, etiam partialis, Monadum derivativarum est repræsentatio universi.

Principia Philosophiæ & 61. Harmonia rerum universalis.

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur HARMONIA RERUM UNIVERSALIS. Vide supra Theorema 15. Pendet autem à determinatione perceptionis primi momenti in singulis Monadibus harmonicâ cum determinationibus perceptionum primi momenti in omnibus reliquis Monadibus. Hâc enim positâ, consequentes determinationes omnes perceptionum in monadibus singulis manent harmonicæ cum determinationibus omnibus reliquarum monadum. Determinatio perceptionis primi momenti harmonica *quà existentiam suam* in divinâ voluntate & potentiâ, *quà essentiam suam* in respectu fundatur, quem quælibet perceptio habet ad ceteras omnes coëxistentes aut successione connexas, hoc est à *situ* & *tempore*, idealiter in mundo possibili, realiter in existente.

G. G. Leibnitius.

Scholion II. LEIBNITIUS dans sa Replique aux Reflex. de Monsr. „ BAYLE *Tom. II. du Recueil. p. 406.* Il n'y a point de chose in-„ dividuelle, qui ne doive exprimer toutes les autres; de sorte, „ que l'ame, à l'egard de la varieté de ses modifications, doit „ être comparée avec l'Univers, qu'elle représente, selon son

poinc

point de vûë, & même en quelque façon avec DIEU, dont „ elle représente *finiment l'infinité*, à cause de sa perception con- „ fuse & imparfaite de l'infini, plûtot, qu' avec un atome ma- „ teriel. Et la raison du changement des pensees dans l'ame, est „ la même que celle du chanchement des choses dans l'Univers „ qu' elle représente. Car les raisons de mecanique, qui sont „ developpées dans les corps, sont reünies, & pour ainsi dire con- „ centrées dans les ames ou entelechies & y trouvent même „ leur source. „

THEOREMA XCIV.

Principia Philosophiæ §. 59.

Perceptionem Dissimilitudo.

Nulla perceptio sive in una eademque Monade derivativâ, sive in diversis, alteri cuicunque perceptioni per omnia similis est.

Demonstratio.

PErceptio quælibet Monadis derivativæ involvit consensum cum perceptionibus coëxistentibus & successione connexis omnium monadum reliquarum ejusdem universi *per theor. 93.* Sed monades derivativæ nullo assignabili tempore per omnia similes sunt, *per theor. 19. & 32.* interna autem differentia monadum derivativarum consistit in gradu perfectionis essentialis repræsentandi universum, *per theor. 86.* Ergo nec perceptio una, sive in unâ eâdemque monade derivativâ sive in diversis, alteri cuicunque perceptioni per omnia similis est, *per cor. theor. 93.* Q. E. D.

Coroll. I. Omnis Monas derivativa est SPECULUM UNIVERSI, nullo assignabili tempore Universum eodem modo repræsentans.

Monades Specula Universi.

Scholion. Sicut Specula Vulgaria repræsentant corpus lucidum per radiorum, à corpore radiante in superficiem speculi incidentium, sub eodem angulo ad oculum reflexionem; ita monades repræsentant universum in subjecto simplici, per respectûs, quos habent ad omnes reliquas monades, in universo coëxistentes, & in singulis ab intellectu infinito distinctè cognoscibiles. Quod igitur sunt specula corporea respectu oculi nostri, id sunt Monades, tanquam specula incorporea, respectu intellectûs infiniti.

Coroll.II. Pars temporis & loci minima variationes admittit diversas, consequenter nullus Universi status alteri statui per omnia similis exstitit, existit & unquam existet.

Magnitudo Harmoniæ Universalis. βάθος divinæ Sapientiæ. G.G. Leibnitius.

Scholion I. Fundatur in hoc theoremate MAGNITUDO HARMONIÆ UNIVERSALIS, in quâ PHILOSOPHUS τὸ βάθος „ divinæ Sapientiæ constituit in Causâ DEI *§. CXLII. p. 45*. Ipsum „ *βάθος* in divinæ Sapientiæ thesauris vel in DEO abscondito, „ & (quod eodem redit) in Universali Rerum Harmoniâ latet; „ (quæ facit, ut hæc series universi, complexa eventûs, quos „ miramur, judicia, quæ adoramus, optima præferendaque omni- „ bus à DEO judicaretur.)

G.B.Bülffingerus

Scholion II. Cel. BüLFFINGERUS dum nexum necessarium inter Magnitudinem sive perfectionem Harmoniæ rerum Universalis & repræsentationem Universi in singulis monadibus attentius considerat, illam non fore tam perfectam, nisi Monades singulæ universum actu repræsentarent, lubens agnoscit in Dilucid. Philosoph. „ *Sect. V. cap. V. §. CXIX. p. 117.* Certum est, inquit, decede- „ re hic (si scilicet unicuique Monadi creatæ tribuatur definita ali- „ qua activitatis sphæra, ultrà quam non repræsentet actu ipso „ alia) aliquid Harmoniæ omnium rerum universali, qualem il- „ lam ab Illustri LEIBNITIO assertam esse communiter existi- „ mant, manet tamen universalis sensu laxiori. Namque si exi- „ stimes, non involvi ipso actu (etsi obscurè tantùm) in toto re- „ præsentationis cujuscunque simplicis ambitu res universi omnes: „ sequitur non ἁρμονίζειν omnia, ut singula cum omnibus, hoc „ est, non singula quæque entia repræsentare actu omnia: potest „ tamen Harmonia hoc sensu Universalis dici, quod uniuscujus- „ que simplicis repræsentatio in suâ sphærâ activitatis repræsen- „ tatricis non tantùm non repugnet repræsentationibus cetero- „ rum, sed illis etiam ita consentiat & involvatur, ut nullibi hia- „ tus sit proximorum perfectus & absolutè talis, sed dum altera „ sphæra in alteram exporrigitur, omnes mutuo sint implicitæ. „ Unde cohæsio est & harmonica & universalis, si non singulo- „ rum, in sese spectatorum, actualis cum omnibus, tamen omnium „ inter sese & singulorum cum omnibus mediata.

THEO-

THEOREMA XCV.

Principia Philosophiæ §. 60. Harmonia Universalis medium obtinendi perfectionem universi maximã possibilem.

Harmonia rerum universalis præstabilita est medium naturale obtinendi tantùm perfectionis in universo, quantum possibile est.

Demonstratio.

Cùm Universum dicat aggregatum omnium entium simplicium atque compositorum, secundùm locum & tempus inter se connexorum, *per def. 222.* Perfectio universi maxima possibilis involvet consensum maximum possibilem omnium entium, inter se connexorum, *per Schol. def. 140. & def. 227.* consequenter relationem omnium entium simplicium atque compositorum ad communem scopum, sive resultans tale, ad quod præstandum omnia concurrunt, *per Schol. cit.* Quamobrem perfectio maxima possibilis universi agnoscit rationem sufficientem in solâ essentiâ repræsentatrice omnium simplicium & compositorum, vi cujus à singulis simplicibus & compositis omnia simplicia & composita in universo naturæ suæ convenienter repræsentantur, ut intellectus infinitus in unico ente simplici & composito, intueatur omnia, quæ fiunt in omnibus entibus simplicibus & compositis *per ax.* 1. Ergò harmonia rerum universalis præstabilita, est medium naturale obtinendi tantùm perfectionis in universo, quantum possibile est, *per def. 274. & def. 151.* Q. E. D.

Coroll. I. Cùm essentiæ singularum Monadum derivativarum sint repræsentativæ universi, *per theor. 84. & coroll. 1. theor. 94.* Monades, quatenus sunt Specula Universi, media sunt naturalia, *per def. 151.* connectendi fines speciales cum fine ultimo universi, in eo consistente, ut universum sit speculum DEI opificis. Videatur infrà *cor. theor. 125. & cor. 2. theor. 126.* Universum Speculum DEI opificis.

Coroll. II. Perfectio Universi intelligi & explicari non potest ab intellectu finito. Perfectio Universi.

Coroll.

Coroll. III. Harmonia Rerum Univerſalis hypotheſis eſt, divinâ ſapientiâ digniſſima.

Bayle. Judicium Bælii de Harmoniâ rerum Univerſali.

Scholion I. BÆLIUS de hypotheſi hâc honorificè ſentit in dictionario ſuo art. RORARIUS, *p. 2610. col. 2.* Je conſidere preſentement ce noveau Syſteme comme une conquête d' importance, qui recule les bornes de la philoſophie. Nous n' avionsque deux hypotheſes, celle de l'ecole & celle des Carteſiens, l' une étoit une voie d' influence du corps ſur l' ame, & de l' ame ſur le corps, l' autre étoit une voie d' aſſiſtance, on de cauſalité occaſionnelle. Mais voici une nouvelle acquiſition, c' eſt celle qu' on peut appeller avec le Pere LAMI de la connoiſſance de ſoi - meme Traité *2. p. 226. ed. 1699.* voie d' harmonie preétablie. Nous en ſommes redevables à Monſr. LEIBNIZ & il ne ſe peut rien imaginer qui donne une ſi haute idée de l' intelligence & de la puiſſance de l' Auteur de toutes choſes. Item *p. 2612. col. 2.* Cette ſuppoſition quand elle ſera bien developpée, eſt le vrai moien de reſoudre toutes les difficultez.

R. P. Lamy.

G. G. Leibnitius.

SOPHIA CHARLOTTA Regina Boruſſiæ. *G. G. Leibnitius.*

Scholion II. Non ingratum erit Lectori, ſi primam occaſionem hoc loco, ipſis LEIBNITII verbis diſtinctius aperuero, quam excolendi hanc hypotheſin Philoſopho ſuppeditavit Sereniſſima quondam Boruſſiæ Regina SOPHIA CHARLOTTA, ex Epiſtolâ Viri incomparabilis, Hanoverâ XXIII. Junii clɔ Iɔccvii. ad me datâ: Cum olim Sereniſſima Pruſſorum Regina BAYLII Libros, doctrinæ & elegantiæ plenos, libenter legeret, & in his crebras objectiones circa juſtitiam divinam, Libertatem arbitrii, originem mali, cauſam peccati, &c. animadverteret, ſententiam meam non rarò rogabat. Ego verò oſtendebam, non tantas eſſe difficultates quantæ viderentur, & rem omnem, (ni fallor,) rectè & dilucidè expediri poſſe. Et ſanè, quæ offerebam, non diſplicebant. Itaque plus ſemel inſtabat INCLYTA REGINA, ut meditationes meas eo de argumento in chartam conjicerem, & gallicâ quidem linguâ, quo ab ipsà & aliis etiam extrà Germaniam latinæ minus aſſuetis legi poſſent. Cœperam opus, ſed morte Reginæ filum abruperam. Sed cùm hâc hyeme Berolini agerem, amici, quibus voluntas Reginæ nota fuerat, ut ejus mandatis ex aſſe ſatisfacerem, urgere non deſtitere. Ita nata eſt mihi ſcriptio (*Theodicæa*) quæ ſi prælo committeretur, octavâ formâ juſtæ magnitudinis libellum daret. Vellem autem typis batavis edi gallicum hoc ſcriptum:

Occaſio conſcribendæ Theodicææ.

ptum : ita enim facilius per varias Europæ partes, ubi linguæ „ ejus usus est, dispergeretur : præsertim cùm ipsa BAYLII & „ Antagonistarum ejus scripta ibidem in Batavis gallicè sint edi- „ ta. Nomen quidem meum non esset præfigendum Libello, „ (neque is adeò mos est scribentibus gallicè) sed tamen nemi- „ nem facilè Lectorum peritorum latere posset, ob doctrinas, par- „ tim inspersas, quas alibi jam tum exposui. „

Scholion III. Fundatur in hoc Theoremate UNITAS MUNDI: Ob nexum enim universalem causarum efficientium cum effectibus per Leges motuum, omnia corpora in Mundo non sunt, nisi unum compositum: & ob nexum universalem finium & mediorum per Leges appetituum, omnes spiritûs unam absolvunt DEI civitatem; & spiritûs omnes & corpora omnia ob nexum universalem motuum corporum cum perceptionibus Monadum per legem motuum & appetituum generalem Unum metaphysicum sive unam rerum universitatem constituunt. Unitas mundi.

THEOREMA XCVI.

Principia Philosophiæ §. 62.

Harmonia rerum universalis principium certitudinis eventuum.

Harmonia rerum universalis est principium certitudinis eventuum omnium in universo quocunque possibili.

Demonstratio.

Certitudo eventuum in universo aliquo possibili involvit determinatam unius propositionis, è duabus propositionibus contradictoriis, de aliquo facto veritatem, *per def. 224.* adeoque rationem sufficientem agnoscit, in adaptatione omnium simplicium & compositorum in principio rerum ad se invicem tali, vi cujus mutatio unius rationem continet mutationis, in altero factæ, & quilibet motus corporis connectitur cum omnibus reliquis motibus corporum omnium in universo per leges motuum, quælibet autem perceptio alicujus monadis connectitur cum omnibus reliquis perceptionibus reliquarum monadum in universo per leges appetituum, & perceptiones omnes cum motibus omnibus in universo per legem appetituum & motuum

generalem connectuntur in intellectu DEI opificis idealiter. Sed quæ idealiter jam connectuntur in intellectu DEI, illa rationem sufficientem agnoscunt in essentiâ repræsentatrice omnium simplicium & compositorum, in universo aliquo secundùm locum & tempus inter se connexorum, vi cujus omnia simplicia & composita in aliquo universo repræsentantur à singulis simplicibus & compositis, *per ax.* 1. Ergò Harmonia rerum universalis est principium certitudinis eventuum omnium in universo quocunque possibili, *per def.* 274. *& def.* 16. Q. E. D.

Consequentiæ benè & malè factorum diuturnæ.

Coroll. Consequentiæ & benè & malè factorum diuturnæ sunt & auctoribus suis superstites. Ex. gr. ex Neronis, diu jam defuncti, malis facinoribus hodiè mala patiuntur posteri contrà intellectus ARCHIMEDIS, (quo de legatur inter alios NICEPHORUS GREGORAS Scholiis in Librum SYNESII de Insomniis Operum SYNES. *p.* 366.) antè multa sæcula defuncti, hodiè in intellectu aliorum adhuc effectum sortitur.

Archimedes. *Nicephorus Gregoras.* Infallibilitas divinæ præscientiæ. Certitudo Philosophiæ practicæ. *Christ. Wolfius.*

Scholion I. In hoc Theoremate fundantur INFALLIBILITAS DIVINÆ PRÆSCIENTIÆ, & CERTITUDO PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ. Conf. Acutissimus Philosophus CHR. WOLFIUS *in Metaph.* §. *DXXI. & in annot. Met. pag.* 182. 230. 272.

Efficacia & utilitas precum. *G. G. Leibnitius. Ge. Bernh. Bülffingerus.*

Scholion II. Fundatur etiam in hoc Theoremate EFFICACIA & UTILITAS PRECUM HUMANARUM: quatenus illæ etiam ingrediuntur motivum prævalens eligendi existentiam hujus universi præ existentiâ reliquorum possibilium. LEIBNITIUS in Theodicæâ *Part. I.* §. *LIV. p.* 166. *seq.* add. BüLFFINGERUS in Dilucid. Philos. *Sect. II. cap. II.* §. *CLXI. p.* 160.

Necessitas sibi attendendi & à peccatis cavendi. Officia ergà antecessores & posteros.

Scholion III. Fundatur in hoc Theoremate NECESSITAS SIBI ATTENDENDI ET A PECCATIS CAVENDI: quoniam eorum consequentiæ naturaliter perennes sunt; indeque porrò deduci possunt OFFICIA NOSTRA ERGA ANTECESSORES in imitando, & ERGA POSTEROS in exhibendis vitæ exemplis. Conf. laudatus modò BüLFFINGERUS de Origine mali. *Sect. IV.* §. *CCCCXLVII. — CCCCLI. p.* 415. — 422. *incl.* & specimen Doctrinæ Moralis Veterum Sinarum *Sect. Special: I.* §. *L. p.* 55.

Scho-

Scholion IV. LEIBNITIUS in Epiſtolâ, Hanoverâ XXX. Sept. cIↃ IↃccxI. ad me datâ: CARTESIUS ad LIBERTATEM „ videtur requirere omnimodam indeterminationem. Sed talis „ notio Libertatis eſt impoſſibilis. SPINOSA CARTESII men- „ tem ſolet detorquere ad ſuam. Ex ſenſu intimo nulla infertur „ Libertas, ut benè notavit etiam BAYLIUS. Res enim reſol- „ veretur in argumentum tale negativum. *Ego non ſentio; Er-* „ *go non adeſt.* Certè etſi nos rationes neceſſitatis non ſentire- „ mus, poſſent tamen ſubeſſe, neque enim omnia ſentimus, „ quæ in nobis fiunt, cùm multas habeamus perceptiones confu- „ ſas, quarum ingredientia à nobis non ſentiuntur. Add. Theodi- „ cæa *Part. III. §. CCCIII. p. 492. CCCX. p. 499.*

Libertas Ren. Carteſius Spinoſa. Bayle.

Scholion V. Optimè BOETHIUS de Conſolatione Philoſophiæ Lib. V. Proſâ VI. *Operum p. 1115.* FUTURA, quæ ex arbitrii li- „ bertate proveniunt, ad intuitum relata divinum, *neceſſaria* fi- „ unt *per conditionem divinæ notionis:* per ſe verò conſiderata ab „ abſolutâ naturæ ſuæ libertate non deficiunt.

Boëthius.

THEOREMA XCVII.

Eſſentia Monadis Originariæ eſt repræſentativa omnium Univerſorum poſſibilium, idque omni modo poſſibili.

Principia Philoſophiæ. §. 55. Eſſentia Monadis Originariæ.

Demonſtratio.

Cùm ſine eſſentiâ Monadis Originariæ repræſentativâ, nulla exiſtere poſſit eſſentia alia repræſentativa alicujus univerſi poſſibilis, *per def. 87.* & ex illis eſſentiis repræſentativis poſſibilibus exiſtant eſſentiæ monadum, univerſi optimi repræſentativæ, *per theor. 83. 84.* erit eſſentia monadis originariæ in repræſentatione ſuâ nullorum limitum capax, *per ax. 1.* conſequenter nec quà objectum, nec quà gradum diſtinctionis in repræſentando erit limitata. Sed talis eſſentia eſt repræſentativa omnium univerſorum poſſibilium ſimpliciter, idque omni modo poſſibili. Ergò eſſentia Monadis Originariæ eſt repræſentativa omnium univerſorum poſſibilium, idque omni modo poſſibili. Q. E. D.

Coroll. I. Eſſentia Monadum derivativarum imitatur eſſentiam Monadis Originariæ, in quantum repræſentatio earum à limitibus, ex eſſentiâ earum fluentibus, abſtrahitur, *per theor. 76. & 84.*

Coroll. II. Eſſentia DEI rectè collocatur in repræſentatione omnium univerſorum poſſibilium, idque omni modo poſſibili *per cor. theor. 59.*

Bayle.

Scholion I. LEIBNITIUS dans ſa Replique aux Reflexions de Mr. BAYLE *Tom. II. du Recueil. p. 409. 410.* DIEU exprime tout diſtinctement & parfaitement à la fois, poſſible & exiſtant, paſſé, préſent & futur; Il eſt la ſource univerſelle de tout, & les Monades créées l'imitent autant, qu'il eſt poſſible que les creatures le faſſent: il les a fait ſources de leurs phénomenes, qui contiennent des rapports à tout, mais plus ou moins diſtincts, ſelon les degrez de perfection de chacune de ces ſubſtances.

Chriſtian. Wolfius.

Scholion II. Patet ex hoc Theoremate, Celeb. WOLFIUM, Principiis Leibnitianis convenienter, Eſſentiam DEI ponere in Vi Univerſi repræſentativâ illimitatâ. *Met.* §. *MLXVII. MLXVIII.* & Eſſentiam Animæ in Vi univerſi repræſentativâ limitatâ *Met.* §. *DCCLV. DCCLVI.* in repræſentatione autem ſimilitudinem utriusque eſſentiæ; in capacitate vel incapacitate limitum differentiam utriusque eſſentialem infinitam quærere. §. *MLXXVI.*

Principia Philoſophiæ § 48. Monas Originaria ſine Organis.

THEOREMA XCVIII.

Monas Originaria eſt ſine Organis.

Demonſtratio.

Eſſentia Monadis Originariæ eſt repræſentativa omnium univerſorum poſſibilium in gradu diſtinctionis abſolutè ſummo, *per theor. 97.* adeoque Monas Originaria nullam alicujus univerſi poſſibilis partem diſtinctius repræſentat partibus reliquis, & proinde omnia æquè diſtinctè repræſentat in omnibus univerſis poſſibilibus. Quamobrem monas originaria repræſentat Entia, ut in ſe ſunt, non ſecundùm ſcheſin, quâ ſe mutuo reſpiciunt, alia remotè, alia proximè, & proinde non percipit continuum, *per def. 50. 65. 109.* conſequenter nec materiam, *per def. 172.* Ergò Monas

Monas Originaria nullam etiam materiæ partem diſtinctius percipit reliquis partibus, adeoque nullum agnoſcit ſchema repræſentationis, *per def. 100.* Sed quod nullum agnoſcit ſchema repræſentationis, illud nec repræſentat ſibi partem aliquam univerſi inſtar compoſiti diſſimilaris, in quo repræſentationes ſuas producere videtur, & ſecundùm cujus mutationes, in partibus aliis atque aliis extantiores, compoſitorum omnium reliquorum mutationes repræſentat. Ergò Monas Originaria eſt ſine Organis, *per def. 197.* Q. E. D.

Coroll. Cùm Senſûs & Affectûs involvant Organa: in DEUM non cadere poſſunt, *per cor. theor. 59.* Cavendus igitur eſt *Anthropomorphiſmus*, qui in conceptibus, de divinâ eſſentiâ divinisque proprietatibus conſiſtit, ejusmodi, qui imperfectionem humanam inferunt. DEUS ſine ſenſibus & Affectibus. Anthropomorphiſmus.

Scholion. *Anthropomorphitæ* extiterunt tempore JOHANNIS X. Pontificis Romani Anno CHRISTI 917. DEUM humano corpore ponentes, quorum Errorem FANTINUS Præſul Veronenſis doctiſſime redarguit. RAPHAEL VOLATERRANUS Commentar. *Lib. XXII. coll. 795.* Anthropomorphitæ. *Fatinus* *R. Volaterranus.*

THEOREMA XCIX.

Non datur Vacuum, in rerum univerſitate disſeminatum.

Principia Philoſophiæ §. 63. Vacuum in Univerſitate.

Demonſtratio.

IN Univerſo exiſtente, quælibet Monas derivativa diverſum obtinet ſitum, *per theor. 91.* conſequenter monades ita coëxiſtere poſſunt, ut non admittant aliarum monadum exiſtentiam intermediam, & proinde Monades continuum efficere poſſunt, *per def. 50.* Sed monades etiam ſunt diſſimiles, *per theor. 19.* & harmonicæ tamen, *per theor. 95.* Quare, ſi Monades coëxiſtentes non efficiunt continuum, non datur harmonia rerum maxima poſſibilis, adeoque nec univerſum exiſtens ex infinitis poſſibilibus eſt optimum, *per ax. 1.* Sed datur harmonia rerum maxima poſſibilis,

per theor. 95. & univerſum exiſtens eſt optimum *per theor.* 83. Ergo monades continuum efficiunt, adeoque non datur Vacuum in rerum univerſitate diſſeminatum. Q. E. D.

Synthеſis Continui ex monadibus poſſibilis.

Coroll. Cùm Syntheſis monadatorum ex monadibus non involvat contradictionem *per theor.* 99. exhibendæ exiſtentiæ Continui per aggregationem Monadum ſufficit potentia infinita *per def.* 245.

Analyſis materiæ in elementa ſua. *G. G. Leibnitius.*

Scholion I. Supponit hæc demonſtratio *Analyſin materiæ in Elementa ſua diſſimilia & harmonica* : quâ ſuppoſitâ, quo major exiſtit materiæ quantitas, hoc major exiſtit occaſio ſapientiam infinitam demonſtrandi. Confer ſupra *Theor. VII. Schol. I.* LEIBNITIUS Epiſtol. IV. ad CLARKIUM *Tom. I. du Recueil. p. 61. 62.* „ Vouloir du vuide dans la nature, c' eſt attribuer à Dieu une „ production tres-imparfaite ; c' eſt violer le grand principe „ de la neceſſité d' une raiſon ſuffiſante , que bien des gens ont „ eu dans la bouche, mais , dont ils n' ont point connu la force, „ comme j' ai montré dernierement, en faiſant voir par ce principe , que l' eſpace n' eſt qu' un ordre des choſes comme le „ tems , & nullement un etre abſolu. Sans parler deplusieurs „ autres raiſons contre le Vuide & les atomes ; en voici celles, „ que je prends de la perfection de DIEU, & de la raiſon ſuffiſante. Je poſe, que toute perfection, que DIEU a pû mettre „ dans les choſes ſans déroger aux autres perfections, qui y ſont, „ y a été miſe. Or figurons nous un eſpace entierement vuide „ DIEU y pouroit mettre quelque matiere ſans déroger en rien „ à toutes les autres choſes : donc il l' y a miſe : donc il n' y a „ point d' eſpace entierement vuide : donc tout eſt plein. Le „ même raiſonnement prouve, qu' il n' y a point de corpuſcule, „ qui ne ſoit ſubdiviſé. Voici encore l' autre raiſonnement pris „ de la neceſſité d' une raiſon ſuffiſante. Il n' eſt point poſſible „ qu' il y ait un principe de determiner la proportion de la matiere on du rempli au vuide, on du vuide au plein. On dira „ peut être que l' un doit être égal à l' autre ; mais comme „ la matiere eſt plus parfaite que le vuide, la raiſon veut qu' on „ obſerve la proportion geometrique , & qu' il y ait d' autant „ plus de plein qu' il merite d' être préferé. Mais ainſi il n' y aura point de vuide du tout ; car la perfection de la matiere eſt „ à celle du vuide, comme quelque choſe à rien. Il en eſt de même

me des atomes. Quelle raiſon peut on aſſigner de borner la „ nature dans le progres de la ſubdiviſion ? Fretions purement „ arbitraires & indignes de la vraye philoſophie. Les raiſons qu' „ on allegne, pour le vuide, ne ſont que des Sophiſmes. „

Scholion II. De Experimentis Vacuiſtarum legi poſſunt ANTON. DEUSINGIUS in Diſquiſ. Phyſic. Mathem. de Vacuo & attractione Amſtelodami 1661. in 12. WOLFERDUS SENGVERDIUS in Inquiſitionibus experimentalibus Lugd. Bat. 1690. in 4to. BERNIER. *loc. cit. cap. XV. p. 190. — 208. incl.* Experimenta Vacuiſtarum. *Ant. Deuſingius. Wolferdus Senguerdius. Bernier*

Scholion III. CARTESIUS eſſentiam corporis in extenſione conſtituit, conſequenter Spatium abſolutum & corpus pro iisdem habet. *Part. I. Epiſt. XXXVI. p. 81. Ep. LXVII. p. 185. ſeq.* Tenetur igitur aſſerere, ne virtute quidem divinâ fieri poſſe, ut propriè dictum exiſtat vacuum. *Part. I. Ep. LXVI. p. 179.* *Ren. Carteſius.*

THEOREMA C.

Principia Philoſophiæ §. 63, 64. Communicatio motûs in pleno.

Communicatio motûs in pleno procedit ad quamlibet diſtantiam.

Demonſtratio.

Cùm motus naturaliter non deſinat, licet in infinitum decreſcat, *per exper. & ax. 2.* in pleno quodlibet corpus minimum à motu quovis minimo reliquorum omnium corporum recipit aliquem impetum, conſequenter omnis motus in pleno aliquem effectum ſortitur in omnibus corporibus pro ratione diſtantiæ, *per theor. 99.* Ergo motûs communicatio in pleno procedit ad quamlibet diſtantiam. *per cor. 4. def. 176.* Q. E. D.

Scholion. Recordor hâc occaſione exempli, quo LEIBNITIUS uti ſolebat: ſcilicet motum brachii ſui effectum aliquem in fixis ſtellis ſortiri, etſi effectus ille pro ratione diſtantiæ decreſcat. *God. Guil. Leibnitius.*

THEO-

Principia Philosophiæ §. 63, 64. Corpus Universi repræsentativum.

THEOREMA CI.

Omne corpus illud repræsentat universum in subjecto multiplici, cum quo in intellectu DEI jam idealiter est connexum.

Demonstratio.

QUandoquidem communicatio motûs in corporibus universi ad quamlibet procedit distantiam, *per theor. 100.* cuilibet corpori non tantùm impetus aliquis communicatur à corporibus, quæ ipsum immediatè tangunt, verùm etiam, illis mediantibus, à corporibus, quæ prima tangunt; adeòque omne corpus in universo corporeo afficitur à motibus omnium reliquorum corporum, *per ax. 1.* Quare in statu præsenti cujuslibet corporis intellectus infinitus intuetur quicquid in universo corporeo tam secundùm tempus, quam secundùm spatium elongatur, adeoque quidquid vel jam factum in eodem, vel adhuc futurum est. Ergò omne corpus illud repræsentat universum in subjecto multiplici, cum quo in intellectu DEI jam idealiter est connexum, *per def. 270.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius.

Scholion I. LEIBNITIUS dans sa Replique aux Reflexions de Mr. „ BAYLE *Tom. II. Recueil. p. 396.* Les corps n' étant pas des „ atomes, mais divisibles & divisez même à l' infini; & tout „ en étant plein; il s' ensuit, que le moindre petit corps reçoit „ quelque impression du moindre changement de tous les autres, „ quelques éloignez & petits qu' ils soient, & doit être ainsi un „ miroir exact de l univers; ce qui fait, qu' un esprit assez pé- „ nétrant pour cela pourroit à mesure de sa pénetration voir & „ prevoir dans chaque corpuscule, ce qui se passe & se passera, & „ dans ce corpuscule & au dehors. Ainsi rien n' y arrive, pas „ même par le choc des corps environnans, qui ne suive de ce, „ qui est déja interne, & qui en puisse troubler l' ordre.

Scholion II. Per Principia hujus Philosophiæ *Perceptio propriè sic dicta* est repræsentatio multitudinis externæ in subjecto simplici *per def. 99.* Igitur Perceptio in nullum compositum cadit, *per theor. 33.* Ca-

33. Cadit tamen in composita repræsentatio multitudinis, essentiæ compositi conveniens, qualis est, quæ fit in subjecto multiplici; quatenus impetus non nisi per partes communicari potest, corpus subjectum compositum supponit: & in regno causarum efficientium Perceptionem quodammodo imitatur. Quo sensu §. LXIII. PHILOSOPHUS asserit: Unumquodque corpus QUODAMMODO PERCIPERE id, quod accidit in universo. In quo abit ab hypothesi GEORGII RITSCHELII, in Contemplationibus Metaphysicis, *Part. I. cap. XI. §. III. IV. pag. 198. seq.* (quem fide citamus CL. BüLFFINGERI in dilucidationibus Philosophicis sæpè laudatis.) Hic enim entibus simplicibus & compositis Perceptionem tribuit, eamque à principio quoque externo deducit. Quicquid, inquit, agit in aliud, illud quodam impetu „ percutit, à quo, si movetur percussum, fieri non potest, quin se „ jam aliter habeat, ac anteà. Hoc vero PERCEPTIONEM per- „ cussionis in percusso indicat, quia ipso aspectu deprehendimus, „ ut cucumis sese ad appositam aquam exporrigat & in longum „ crescat, avertatur autem ab apposito oleo, & in rugas torquea- „ tur; quod non fieret, nisi illam actionum diversitatem PERCIPE- „ RET. Non quasi cucumis expressam illorum motuum, vi ima- „ ginante hauriat imaginem, ut in animalibus fit: sed quia ne „ concipere quidem possumus, quomodo aliquid actionem, ut con- „ venientem sibi, admittat, & aliam, ut alienam respuat, nisi vim „ earum discretricem naturalem habent. *Discernere autem perci-* „ *pere est.* Interim illa *perceptio* diligentissimè à sensu animalis „ distinguenda, ne vox in erroris præcipitium deducat, &c.

G. G. Leibnitius. Principia Philosophiæ §. 63.
G. Ritschelius.
G. B. Bülffingerus.

THEOREMA CII.

Vis passiva simplex Monadum derivativarum est principium materiæ in corporibus.

Vis passiva simplex Monadum principium materiæ.

Demonstratio.

MOnades derivativæ sunt substantiæ, *per theor. 26.* & quidem simplices *per def. 86.* mutationibus obnoxiæ *per cor. theor. 22.* quæ, quatenus earum ratio est extrà monades ipsas, sunt passiones illarum monadum, *per def. 94.* adeoque quælibet monas derivativa est substantia comple-

ta, quæ vim agendi ſimplicem & vim patiendi ſive reſiſtentiam ſimplicem in ſe habet *per def. 80.* Sed in multiplicatione reſiſtentiæ ſimplicis continuitas reſiſtentiæ in corporibus rationem ſufficientem agnoſcit, *per. def. 50. & 172.* Ergo Vis paſſiva ſimplex Monadum derivativarum eſt principium materiæ in corporibus, *per def. 172. & def. 16.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius.

Scholion I. LEIBNITIUS *Tom. II. du Recueil. p. 190.* „Comme „ les Monades ſont ſujettes aux paſſions, excepté la primitive, „ elles ne ſont pas des forces pures, elles ſont les fondemens, „ non ſeulement des actions, mais encore des reſiſtances ou paſ„ ſibilitez & leurs paſſions ſont dans les perceptions confuſes, ce „ qui enveloppe la matiére ou l' infini en nombres.

Scholion II. Fundatur in hoc Theoremate Solutio dubii WOLFIANI, adverſus Perceptiones Monadûm nudarum in Annot. Metaph. §. *CCLI. p. 382.* propoſiti.

Vis activa ſimplex Monadum principium naturæ.

THEOREMA CIII.

Vis activa ſimplex Monadum derivativarum eſt Principium naturæ in corporibus.

Demonſtratio.

Cùm vis motrix conſiſtat in conatu partium materiæ, *per def. 186.* & conatus ille non ſit, niſi tendentia continua partium materiæ ad producendum motum, *per def. 185.*; partes autem materiæ involvant continuum, quod rationem ſufficientem in aggregatione monadum agnoſcit, *per def. 170. & 172.*; manifeſtum eſt, vim motricem involvere continuam tendentiarum ſimplicium in monadibus derivativis coëxiſtentiam. Quare vis motrix rationem ſufficientem agnoſcit in multiplicatione virium activarum ſimplicium monadum derivativarum, adeoque in vi activâ ſimplici ipſarum monadum, *per ax.* 1. Ergò principium vis motricis eſt vis activa ſimplex monadum derivativarum, *per def.* 16. Sed quod eſt principium vis motricis, idem

etiam

etiam est principium naturæ in corporibus, *per def.* 190. Ergo Vis activa simplex monadum derivativarum est principium naturæ in corporibus. Q. E. D.

Scholion I. Sicut ad genesin Resistentiæ in corporibus, quam *Inertiam materiæ* etiam vocare licet, sufficit multiplicatio Virium passivarum simplicium, *per theor. 102:* ita ad genesin Naturæ in corporibus sufficit multiplicatio Virium activarum simplicium. *Vis activa simplex* est principium internum perceptionum *per cor. 1. def. 96. multiplicata* autem est principium naturæ, quæ est principium externum motuum in corporibus *per Schol. def. 185.* Inertia materiæ.

Scholion II. Huc pertinent illa LEIBNITII: „Vis activa primitiva in omni substantiâ corporeâ per se inest, cùm corpus omnimodè quiescens à rerum naturâ abhorrere arbitrer, in Actis Erud. Lipsiensibus 1694. *p. 146.* Principium activum, materialibus notionibus superius, ubique in corporibus admitto. *ibid. p. 153.* Ipsa rerum substantia in agendi patiendique vi consistit in actis Erud Lipsiensibus 1698. *p. 432.* In quolibet corpusculo est Vis motrix sive natura, essentiæ corporis & materiæ superaddita, quæ semper agit, sed variè ex corporum concursibus per conatûs impetûsque modificatur. *ibid. p. 434.* Vis activa inter facultatem agendi & actionem media est, & solâ sublatione impedimenti ad operationem mitiget. Ultima ratio motûs in materiâ est Vis, in creatione impressa, quæ in unoquoque corpore inest, sed ipso conflictu corporum variè in naturâ limitatur & coërcetur." *G. G. Leibnitius.*

THEOREMA CIV.

Extensio est phænomenon, sed in principio materiæ fundatum.

Extensio phænomenon.

Demonstratio.

EXtensio non est, nisi perceptio continuitatis in diversis partibus coëxistentibus, *per def. 199.* adeoque est perceptio, quæ, quà id, quod continet, rationem sufficientem agnoscit in relatione ad impressionem, ab aggregato monadum in oculo productam, *per theor. 103.* Ergo Extensio

eſt phænomenon, ſed in principio materiæ fundatum, *per def. 189. & theor. 102.* Q. E. D.

God. Guil. Leibnitius.

Scholion I. LEIBNITIUS in Epiſtolâ ad REMONDUM *Tom. II.* „ *du Recueil. pag. 133.* Les Monades ou les ſubſtances ſimples, „ ſont les ſeules véritables ſubſtances, & les choſes materielles ne „ ſont que des PHENOMENES; mais bien fondez & bien tiez. „ add. *p. 189.* La Matiére n' eſt autre choſe qu' un PHENO- „ MENE, mais bien fondé reſultant des Monades. Illuſtrare ſolebat hoc theorema PHILOSOPHUS ſimili, ab IRIDE deſumto, nullam rationem ſufficientem inveniens, cur tactus præ viſu privilegio quodam gaudere deberet.

Idealiſmus.

Scholion II. Apparet ex hoc Theoremate IDEALISMUM LEIBNITIO injuſtè imputari; quo de legatur BüLFFINGERUS in Dilucid. Philoſ. *Sect. I. cap. V. §. CXVI. CXVII. CXVIII. p. 111.-116. incl.*

Coroll. Monades ipſæ in extenſione non niſi obſcurè percipiuntur; dum continuum percipitur, cujus perceptio in relatione ad impreſſionem, ab aggregato monadum, ex modo coëxiſtendi ipſarum Monadum reſultante, in oculo productam, fundatur.

Scholion. Ità ex. gr. Unitates illas numeri magni, quas in partibus ipſius non diſcernimus, in illis tamen obſcurè percipimus.

Principia Philoſophiæ §. 68. Partium materiæ motus.

THEOREMA CV.

Pars quælibet materiæ peculiari motu eſt prædita.

Demonſtratio.

PArtes materiæ ſunt continuum, quod in aggregatione Monadum rationem ſufficientem agnoſcit, *per def. 172. & def. 170.* adeoque continent vim activam ſimplicem multiplicatam, *per theor. 25.* Partes igitur materiæ continent vim motricem, *per theor. 103.* Sed vis motrix involvit conatum, partium in partibus materiæ *per def. 186.* & conatus partium niſum earum, quà directionem indeterminatum, *per def. 185.* conſequenter vis motrix involvit id, quod in motu reale eſt, *per Schol. 1. def. 185.* Ergo Partes

mate-

materiæ continent id, quod in motu reale est. Jam verò quælibet etiam pars materiæ impetum recipit ab omnibus reliquis materiæ partibus, *per theor. 100.* adeoque in quâlibet materiæ parte sequitur motus, si impedimentum, æqualis scilicet resistentia, removeatur, *per cor. 3. def. 189.* Ergò Pars quælibet materiæ peculiari motu est prædita, *Schol. cit.* Q. E. D.

Coroll. Non dantur partes materiæ perfectè solidæ, quarum partes unam simplicem entitatem constituant.

Partes materiæ perfectè solidæ nullæ.

Scholion I. Fundatur igitur in hoc Theoremate IMPOSSIBILITAS ATOMORUM MOLIS & NECESSITAS EXISTENTIÆ MONADUM. Vid. ipse LEIBNITIUS Epist. V. ad CLARKIUM §. XXII. *Tom. I. du Recueil. p. 92.* Quæ contrà illud movent Atomistæ Imaginationi, non Rationi satisfaciunt. Vid. BERNIER *loc. cit. cap. X. p. 109. 110. 111. 116. 117. 118.* Confer. *suprà Theorema VII. & LXXXIV.*

Impossibilitas atomorum molis, & necessitas existentiæ Monadum

Scholion II. Usus est hoc Theoremate jam in Hypothesi physicâ novâ §. II. LEIBNITIUS, in quâ id etiam seni placebat, quod phænomena naturalia reduxisset ad tria generalia capita: *Gravitatem, Vim Elasticam & directionem.*

hypothetica. *God. Guil. Leibnitius. F. Bernier.*

THEOREMA CVI.

Principia Philosophiæ §. 23. Motus ex motu oritur.

Motus in corporibus naturaliter non nisi ex motu oritur.

Demonstratio.

IN corporibus materia motui resistit *per exper.* corpus tamen motum aliud movet, *per exper.* adeoque motus in corporibus rationem sufficientem existentiæ agnoscit in impetu, partibus materiæ à principiô externo successivè communicato, *per ax. 1.* Quare nullum corpus movetur, nisi directio motus ab alio corpore moto per trusionem determinetur, *per def. 189.* Ergo motus in corporibus naturaliter non nisi ex motu consequitur, *per def. 170.* Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 65. Materia subdivisa in infinitum.

THEOREMA CVII.

Pars qualibet materiæ actu in infinitum est subdivisa.

Demonstratio.

PArs quælibet materiæ peculiari motu est prædita, *per theor. 105*, adeoque, sublato impedimento, locum suum mutat, *per Schol. def. 185*. Quælibet igitur pars materiæ actu à partibus coëxistentibus est separata, *per def. 193. & cor. theor. 105*. Ergò pars quælibet materiæ actu in infinitum est subdivisa, *per def. 58. & cor. theor. 99*. Q. E. D.

Analysis materiæ in Monades.

Coroll. I. Cùm Analysis partium materiæ in Monades nullam in se involvat contradictionem, cadit sub potentiam infinitam, *per def. 246*.

Partes monadatorum infinitè parvæ.

Coroll. II. Monades dici possent sano sensu Partes Monadatorum infinitè parvæ.

Infinita temporis subdivisio. *Boëthius.*

Scholion I. BOETHIUS agnovit infinitam temporis subdivisionem Lib. II. de Consolatione Philosophiæ Prosâ VII. *Oper. pag. 1000.* „ Unius mora momenti si decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licet, habet „ tamen aliquam proportionem. At hic ipse numerus annorum, „ ejusque quantumlibet multiplex ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Ita fit ut quanticunque prolixi temporis Fama, si cum in exhaustâ Æternitate cogitetur, „ non parva, sed planè nulla esse videatur.

Thomas Campanella.

Scholion II. CAMPANELLA veritatem Theorematis hujus agnoscens pariter videtur in quæstionibus Physiolog. *quæst. VIII. Tom.* „ *II. Operum p. 43.* Materia in atomos partes dividi & in molem „ maximam uniri à causis agentibus apta est. Scientia autem de „ particulis ejus non datur mortalibus, quoniam *indefinita sunt,* „ & latent sensum atque ignotæ prorsus.

Ren. Cartesius. E. W. de Tschirnhausen.

Scholion III. CARTESIUS pariter admittit progressum in infinitum in subdivisione partium materiæ. *Part. I. Epist. LXVII. pag. 186. Epist. CXV. p. 369.* Addatur TSCHIRNHAUSEN in medicinâ mentis *Part. II. Sect. III. p. 187.*

Scholion

Scholion IV. LEIBNITIUS *in Journal des Sçavans 1695. p. 446.* Ubi materia, ibi aggregatum partium in infinitum. *Tom. II. du Recueil. p. 404.* A mon avis, il n' y a point d' atomes de matieré dans la nature, la moindre par celle de la matiêre ayant encore des parties. *G. G. Leibnitius.*

THEOREMA CVIII.

Principia Philosophiæ §. 69, 70. 71. Mundi in mundis in infinitum.

Pars quælibet materiæ continet mundum creaturarum.

Demonſtratio.

PArs quælibet materiæ actu in infinitum eſt ſubdiviſa, *per theor. 107.* & partes ſingulæ repræſentant univerſum in ſubjecto multiplici, *per theor. 101.* & conſequenter pars quælibet materiæ continet aggregatum creaturarum, ſecundùm locum & tempus inter ſe connexarum, *per ax. 1.* Ergo pars quælibet materiæ continet Mundum creaturarum, *per def. 222.* Q. E. D.

Coroll. Mundi in Mundis dantur in infinitum.

Scholion. LEIBNITIUS Epiſt. IV. ad SAM. CLARKIUM *Tom. I. du Recueil. p. 60.* Nous voudrions que la nature n' allât pas „ plus loin; qu' elle fût finie, comme nôtre eſprit: mais ce n' eſt „ point connoître la grandeur & la Majeſté de l' Auteur des cho- „ ſes. Le moindre corpuſcule eſt actuellement ſubdiviſé à l' infi- „ ni, & contient un monde de nouvelles creatures, dont l' Uni- „ vers manqueroit, ſi ce corpuſcule étoit un atome; c' eſt à di- „ re, un corps tout d' une piece ſans ſubdiviſion. „ *G. G Leibnitius.*

THEOREMA CIX.

Principia Philoſophiæ §. 66. Viventis corpus organicum in infinitum organicum.

Corpus Organicum viventis eſt Organicum in qualibet parte minima in infinitum.

Demonſtratio.

COrpus organicum viventis actu in infinitum eſt ſubdiviſum, *per theor. 105.* & ejuſdem pars quælibet eſt aggrega-

gregatum monadum dissimilare, *per theor.* 103. & *theor.* 19. consequenter illud in infinitum continet composita, quæ agnoscunt diversas determinationes compositionis in partibus diversis, ita ut una pars præ aliâ extantiorem cum corporibus ambientibus involvat connexionem, & fortiorem ab illis impressionem recipere apta sit. Sed tale compositum est organicum in quâlibet parte minimâ in infinitum, *per def.* 197. Ergò corpus organicum viventis est organicum in quâlibet parte minimâ in infinitum. Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. 67. Est machina divina. *G. G. Leibnitius.*

Coroll. I. Corpus organicum viventis est Machina divina, *per def.* 216.

Scholion. LEIBNITIUS *dans sa Replique aux Reflex. de Monsieur* „ BAYLE *Tom. II. du Recueil. pag.* 393. Il est vrai, que le „ monde est une machine composée, dans chacune de ses par- „ ties, d' un nombre véritablement infini de ressorts : mais il „ est vrai aussi, que celui, qui l' a faite, & qui la gouverne, est „ d' une perfection encore plus infinie; puisqu' elle va à une in- „ finité de mondes possibles, dont il a choisi celui qui lui a plû.

Principia Philosophiæ §. 72, 73. Viva ubique.

Coroll. II. Omnia viventium plena sunt in Universo, *per def* 206.

Scholion I. LEIBNITIUS *loc. cit. p.* 395. „ Il faut par tout des „ entelechies, & c' est avoir une petite idée de l' Auteur de la „ nature qui multiplie, autant qu' il se peut, ses petits Mondes, „ ou se miroirs altifs indivisibles,) que de n' en donner qu' aux „ corps humains. Il est même impossible, qu' il n' y en ait par „ tout.

Christianus Franciscus Paullini.

Scholion II. PAULLINI in Disqu. curiosâ ; „ *an Mors naturalis* „ *sit substantia verminosa ? p. 18. seqq.* Vermes, inquit, obser- „ vantur in igne, plantis, medicamentis officinalibus ; item „ in Mehl-Thau, in nive, aquâ, cerevisiâ, aceto &c *p. 51.* in „ muris, metallis, *ibid.* & in cerebro, hepate *p. 56.*

THEO-

THEOREMA CX.

Nulla Monas derivativa est sine organis.

Demonstratio.

Principia Philosophiæ §. 7. Monas derivativa non sine organico corpore.

MOnades derivativæ sunt substantiæ, *per theor.* 26. & quidem finitæ *per cor. theor.* 21. consequenter essentia Monadum repræsentativa *per theor.* 84. in repræsentatione, tum quà objectum repræsentationis, tum quà gradum distinctionis ejusdem, est limitata *per def.* 79. adeoque Monades derivativæ nec omnia universa possibilia absolutè, nec illud etiam, cum quo jam idealiter in intellectu DEI connectuntur, quà ingredientia sua, in gradu distinctionis absolutè summo repræsentant. Sed quod nulla ingredientia universum, in gradu absolutè summo distinctionis repræsentat, illud in repræsentatione singulorum ingredientium plura diversa instar unius repræsentat. Ergo Monades derivativæ universum confusè repræsentant, *per def.* 104. consequenter Entia non repræsentant sibi, ut in se sunt, sed ut unum agit idealiter in alterum, & ut relationibus se mutuis entia singula respiciunt. Quamobrem Monades derivativæ percipiunt continuum, & proinde materiam, *per def.* 50. *& def.* 172. secundùm connexionem, quam materia habet cum parte illâ materiæ, secundùm quam fit repræsentatio, *per theor.* 28. Monades igitur derivativæ universi partem aliquam immediatè & distinctius repræsentant partibus reliquis, *per def.* 100. Sed cùm *per demonstrata* Monades derivativæ nullum ingrediens in illud universum, quod repræsentant, in summo distinctionis gradu repræsentent, nec schema repræsentationis in summo distinctionis gradu repræsentant, conseq. in schemate etiam ipso percipiunt materiam, *per def.* 50. *& def.* 172. Quamobrem Monades derivativæ sibi repræsentant aliquam universi partem, tanquam compositum dissimilare, in quo repræsentationes suas sibi producere videntur, & secun-

dùm cujus mutationes, in partibus aliis atque aliis extantiores, ſibi mutationes compoſitorum omnium in univerſo, in quo continentur, repræſentant. Ergo Monades derivativæ non ſunt ſine organis, *per def. 197.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius

Scholion I. LEIBNITIUS in Epiſtolâ, Brunſuigâ IV. Sept. „ cIↄ Iↄccxvi. ad me datâ: Mallem dicere *omnem Monadem eſ-* „ *ſe incorporatam*, ſeu omnem Monadem ſuum corpus organi- „ cum habere atque ita *Vivum* conſtituere. Omne vivum ap- „ pellari poſſet *Monadatum*, quod ab unâ ſcilicet Monade domi- „ nante vegetatur; Viciſſim poſſet dici, *omnem Monadem Mo-* „ *nadare*, ſeu corpus aliquod vivum vegetare, ſed non ipſam „ Monadari.

Monadatum.

Principia Philoſophiæ §. 14. 25 75. 80.

Coroll. I. Non dantur Animæ prorſus ſeparatæ.

Animæ prorſus ſeparatæ nullæ.

Scholion I. LEIBNITIUS Epiſt. V. ad CLARKIUM *§. LXI.* „ *Tom. I. du Recueil. p. 119.* Je tiens avec les Anciens & avec „ la Raiſon, *que les Anges ou les Intelligences, & les Ames ſeparées* „ *du corps groſſier, ont toûjours des corps ſubtils,* quoi qu' elles mêmes „ ſoient incorporelles. La philoſophie vulgaire admet aiſément „ toute ſorte de fictions; la mienne eſt plus ſevere. Item *Tom.* „ *II. Recueil. p. 384. ſeq.* J' accorde une exiſtence auſſi ancien- „ ne que le monde, non ſeulement aux Ames des Bêtes, mais „ generalement à toutes les Monades, ou ſubſtances ſimples, „ dont les phénoménes compoſez reſultent; & je tiens que *cha-* „ *que ame, ou Monade, eſt toûjours accompagnée d' un corps or-* „ *ganique*, mais, qui eſt dans un changement perpetuel, de ſor- „ te, que le corps n' eſt pas le même, quoique l' ame & l' Ani- „ mal le ſoit. Add. Theodicæâ *Part. II. §. CXX. pag. 248. & §. CXXIV. pag. 261.*

Subtilitas organorum incomprehenſibilis.

Scholion II. Memini PHILOSOPHUM ſubtilitatem tantam Organis angelorum aſſignâſſe, ut aliquot milliones angelorum cum organis ſuis non occupent ſpatium unius guttulæ aqueæ.

Scholion III. Optimè PHILOSOPHUS in Epiſtolâ Hanoverâ, XVI. Octobr. cIↄ Iↄccxii. ad me datâ: Poſſum à com- „ muni ſententiâ doctorum recedere, etſi non recedam à com- „ muni doctrinâ Eccleſiæ. Hoc facio in Doctrinâ de Angelis, „ quos quidem Spiritûs eſſe ſtatuo, ſed ſemper corpora indutos, „ etſi minus iisdem affixos, quàm ſunt animæ noſtræ. Con- „ ſentiunt Patres tam græci, quàm latini. Notanter GENNA-

Gennadius.

DIUS

DIUS Massiliensis Libro de Ecclesiasticis dogmatibus, *cap. XII. Tom. III.* Oper. AUGUSTINI *col. 197.* Creatura omnis cor- „ porea est, angeli & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet „ non carne subsistant. Ex eo autem corporeas esse credimus in- „ tellectuales creaturas, quod localiter circumscribuntur, sicut & „ anima humana, quæ carne clauditur & dæmones, qui per sub- „ stantiam angelicæ naturæ sunt. Ante & post GENNADIUM „ idem alii Ecclesiæ Doctores docuerunt, quorum testimonia collegit GER. JO. VOSSIUS de Origine & progressu Idol. *Lib. I. cap. VI. p. 17. 18.* Et SIXTUS SENENSIS Bibliothecæ Sanctæ *Lib. V. annotat. VIII. p. 329.* observat, sententiam de creaturis prorsus incorporeis Scholasticæ Theologiæ Professoribus originem debere, ipse autem τὸ ἐπέχειν eligit. ARISTOTELES *Lib. II. de Generat. Animal. cap. III. Tom. II. Operum p. 618.* πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις, ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων ςαχείων, ὡς δὲ διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτω καὶ ἡ τοιαύτη διαφέρει φύσις. Sed enim omnis animæ Vir- „ tus corpus aliud participare videtur, idque magis divinum, „ quàm ea, quæ Elementa appellantur. Verum prout nobilita- „ te ignobilitateve animæ inter se differunt, ita & natura ejus cor- „ poris differt. „

Ger. Jo. Vossius. Sixtus Senensis. Aristoteles.

Scholion IV. Addo sequentia THOMÆ CAMPANELLÆ: Videntur PHILONI, PLATONEM secuto, corporei „ esse Angeli. Idem sentiunt ORIGENES, & BASILIUS, „ CASSIANUS, DAMASCENUS, LACTANTIUS, „ & aliquando CAJETANUS & HILARIUS, & in Con- „ cilio Ephesino secundo JOANNES THESSALONI- „ CENSIS putat constare ex corpore aëreo, igneoque, prout „ DAVID ait: *qui facis angelos Spiritus & ignem urentem.* „ Et ATHANASIUS & METHODIUS suffragantes al- „ legantur. HILARIUS autem id probat, quia *omne creatum in aliquo receptum est.* Et tandem AUGUSTINUS „ in mille locis hanc sententiam adstruit, putatque cum Græcis „ nil incorporeum, excepto DEO: angelis autem tenuissima „ inesse corpora & immortalia, quoniam constant ex igne & aere, „ activis elementis, non autem ex humo & humore passibili- „ bus, ut dicit in Libro de Divinitat. Idem MAHOMETUS „

Thom. Campanella. Philo. Plato. Origenes. Basilius. Cassianus. Damascenus. Lactantius. Cajetanus. Hilarius. Jo. Thessalonicensis. Athanasius. Methodius. Augustinus. Mahometus.

„ quoque in Alcorano docet, angelos ex igne, homines ex luto „ creatos. Et HIERONYMUS interdum sidera esse Spiritus „ angelicos corporatos docet cum ORIGENE. At contrà his „ opponuntur DIONYSIUS & CYRILLUS & CHRYSOSTOMUS, quos sequitur *totus Scholasticorum Theologorum chorus*, duce THOMA. BERNHARDUS autem „ sub dubio relinquit, utrum corpora sint angelis adnata, vel „ ad tempus suscipiantur & deponantur. *Part. III. Metaph. Lib. XII. cap. III. art. I. p. 84. seq.* add. *Lib. XV. cap. VI. art. III. pag. 178.*

Hieronymus. Dionysius. Cyrillus. Chrysostomus. Thomas Aquinas. Bernardus.

Scholion V. Quomodo hæc hypothesis conciliari possit cum Resurrectione Corporum, quam fide credimus, ostendit AUCTOR KABBALÆ DENUDATÆ C. KNORR à ROSENROTH in adjectâ adumbratione Cabbalæ Christianæ.

Resurrectio Corporum. *C. Knorr à Rosenroth.*

Coroll. II. Angeli sunt Animalia.

Angeli Animalia.

Coroll. III. Plures dantur VIVORUM SPECIES, quàm Plantæ & Animalia, quorum Monades dominantes diversam speciei essentiam agnoscunt. Vid. Schol. I. Theor. LXXXVI. LEIBNITIUS in Epistolâ Hanoverâ, XVI. April. cIↃ IↃCCIX. ad me „ datâ. IDEM *Tom. II. du Recueil. p. 385. seq.* Il y a apparemment une infinité de degrés dans la perception, & par „ consequent dans *les Vivans*. Mais ces Vivans seront toûjours indestructibles, non seulement par rapport à la substance simple mais encore parce qu' elle garde toûjours „ quelque corps organique.

Vivorum species infinitæ.

Principia Philosophiæ §. 25. Sensûs Animantium plures possibiles.

THEOREMA CXI.

Tot dantur Sensûs in Animantibus, quot diversæ diversorum fluidorum impressiones in Organa Diversa possibiles sunt.

Demonstratio.

TOt sunt diversæ facultates in animantibus clarè repræsentandi mutationes in animâ, à compositis, extrà animam præsentibus, in partibus alicujus compositi dissimilari secundùm quod anima reliqua composita repræsentat, aliis præ aliis productas: quot mutationes diversæ à toti-

totidem diversis compositis præsentibus in partibus alicujus compositi dissimilari aliis præ aliis producuntur, *per ax.* 1. Ergo tot dantur sensûs in animantibus, quot possibiles sunt diversæ diversorum fluidorum in organa diversa impressiones, *per def.* 115. *& def.* 197. Q. E. D.

Coroll. LEIBNITIUS in Epistolâ Brunsuigâ IV. Sept. cIↄ Iↄccxvi. ad me datâ: dari possunt in universitate rerum Sensûs plurimi, nobis incogniti. *G. G. Leibnitius.* Sed nobis incogniti.

THEOREMA CXII.

Principia Philosophiæ §. 62. 64. coll. 25. Medium repræsentandi sunt organa sensoria.

Monas derivativa repræsentat universum illud, cum quo jam in intellectu DEI est connexa, mediante corpore organico, cujus est Monas dominans.

Demonstratio.

MOnadis derivativæ essentia est repræsentativa illius universi, cum quo jam idealiter in intellectu DEI est connexa, *per theor.* 84. & nulla monas derivativa est sine organis, *per theor.* 110. adeoque omnis monas derivativa repræsentat universum secundùm mutationes, à fluidis externis organa ambientibus, in organis, quæ cum illis extantiori modo per structuram suam connectuntur productas, *per theor.* 111. Ergò Monas derivativa repræsentat universum illud, cum quo jam in intellectu DEI est connexa, mediante corpore organico, cujus est Monas dominans, *per def.* 197. *& def.* 202. Q. E. D.

THEOREMA CXIII.

Principia Philosophiæ §. 74. Organa Monadum in perpetuo fluxu:

Corpus organicum viventis in perpetuo est fluxu.

Demonstratio.

OMne Vivum repræsentat universum, mediante aliquo corpore organico, *per def.* 206. *& theor.* 112. & idem nullo assignabili tempore universum eodem modo repræsentat, *per cor.* 1. *theor.* 94. consequenter in corpore

 organi-

organico viventis aliæ atque aliæ impreſſiones à fluidis ambientibus continuò producuntur. In corpore igitur organico viventis datur motus internus continuus, *per theor.* 17. & 106. conſequenter partes aliæ continuò in illud ingrediuntur, aliæ egrediuntur. Ergò Corpus Organicum viventis in perpetuo eſt fluxu.

Principia Philoſophiæ §. 74, 80. Non ſunt Maſſa materiæ, Monadi propriæ.

Coroll. Nulla Monas derivativa pro corpore organico agnoſcit maſſam quandam aut portionem materiæ propriæ, & per conſequens nec poſſidet alia viventia [illegible]riora, ſemper ad ipſius ſervitia deſtinata.

Principia Philoſophiæ § 75. Mutantur per gradûs.

THEOREMA CXIV.

Vivens corpus ſuum non mutat niſi per gradûs.

Demonſtratio.

Corpus organicum alicujus viventis in perpetuo eſt fluxu, *per theor.* 113. Sed nullus fit motus per ſaltum, *per cor.* 34. *def.* 176. Ergo partes corporis organici non egrediuntur in inſtanti, ſed ſucceſſivè transeundo per intermedia, *per ax.* 1. Ergo Omne Vivens corpus ſuum mutat per gradûs. Q. E. D.

Metempſychoſis nulla. *G. G. Leibnitius* *G.B.Bülffingerus.*

Coroll. I. Nulla datur Metempſychoſis: quia illa infert permutationem organorum præcedentium cum conſequentibus, per ſaltum factam. Vid. LEIBNITIUS *Tom. II. du Recueil. p.* 186. BüLFFINGER. *in Dilucidat. Philoſoph. p.* 308. 309.

Joachim. Camerarius. Syſtema Philoſophiæ Platonicæ deſideratum.

Scholion. Pythagoreos per μετεμψύχωσιν ſuam non intellexiſſe transmigrationem animarum propriè dictam, ex Syſtematis ipſorum ratione magis magisque mihi redditur probabile. Definierunt enim μετεμψύχωσιν ſuam numero 216. annorum (Vid. CAMERARIUS l. c.) conſequenter fieri potuit, ut mutationes rerum ſingulares hâc voce indicarent. Utinam aliquando tantùm concederetur otii, ut, quam à plurimis annis, hortatu LEIBNITII meditor connexionem Philoſophiæ Platonicæ in ſyſtemate, Magnatum indulgentiâ perficere poſſem! Si quelqu' un reduiſoit PLATON en ſyſteme, il rendroit un grand ſervice au genre humain, & l' onverroit, que j'en approche un peu. LEIBN. *Tom. II. du Recueil. p.* 130. & 190. *ſeq.*

Coroll.

Coroll. II. Dantur tamen in animalibus metamorphoſes, h. e. continuæ organorum variationes, quæ in generatione & morte animalis quàm maximè ſunt perceptibiles.

Principia Philoſophiæ, §. 75. Metamorphoſes animalium.

Coroll. III. Omne Vivum per conceptionem fit vivum alterius ſpeciei, ex. gr. animal ſimplex fit rationale.

Principia Philoſophiæ §. 77, 85. Viva mutant ſpeciem.

THEOREMA CXV.

Non dantur in univerſo creaturarum generatio & mors totalis.

Principia Philoſophiæ. §. 76. 79. Generatio & mors totalis nulla.

Demonſtratio.

Cùm Viva ſint compoſita *per cor. def. 206.* non transeunt in inſtanti è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum actualitatis & contrà *per theor. 13. 14.* Ergò nullum vivum totaliter generatur & moritur *per def. 220. & def. 221.* Ergò generatio & mors totalis in univerſo creaturarum non dantur, *per theor. 8. 9.* Q. E. D.

Coroll. Omne Vivum ante conceptionem jam præexiſtit.

Principia Philoſophiæ 77. Vivorum præexiſtentia.

Scholion I. Non ſine voluptate recordor, Per-illuſtrem Virum EHR. W. de TSCHIRNHAUS pro certo aſſeruiſſe, ſibi per indubitata conſtare experimenta: *non omne ovum eſſe ex animali, utut omne animal ſit ex ovo.*

E. W. de Tſchirnhauſen. Non omne ovum ex animali.

Scholion II. CHR. FR. PAULLINI *loc. cit. p. 30.* Talis Mors, „ quæ aut ſeparatio animæ ſit à corpore (omni) aut ceſſatio „ omnium omninò actionum, reverà *purum putum figmentum eſt* „ *Scholaſticorum, p. 14.* Non eſt impoſſibile, ut illa miſcibilia, „ quæ ante aliquot ſæcula in prædeceſſoribus noſtris fuerunt, à „ plantis rurſus attrahantur, cumque plantis bruta veſcantur, „ rurſusque ipſa homini veniant in eſcam, fieri poteſt, ut illud „ quod anteà fuit in homine, iterum in hominis corpus reducatur. „

C. F. Paullini. Mors totalis figmentum Scholaſticorum.

THEO-

Principia Philosophiæ §. 78. Animalium spermaticorum ortus & interitus.

THEOREMA CXVI.

Animal spermaticum non electum nascitur & interit ut animal electum.

Demonstratio.

Animal spermaticum non electum est Vivum *per def. 212. & cor. def. 207.* adeoque, organa sua non nisi per gradûs mutat, *per theor.* 114. nunquam tamen prorsus deponit, *per theor.* 110. Quare animal spermaticum non electum est animalculum, quod incipit & desinit existere per successivam organorum præsentium compositionem & dissolutionem, etsi per conceptionem non transformetur in animal alterius speciei. Ergò animal spermaticum non electum nascitur, & interit, ut animal electum, *per def.* 211, *& def. 218. 219.* Q. E. D.

G. G. Leibnitius. Quæstio de generatione animalium. *Mart. Nabothus. Ant. Leewenhook. Kerckringius. Andrius. Vallisnerius.*

Scholion. Optavit LEIBNITIUS, ut quæstio de Generatione animalium examinetur curatius. Ita enim in Epistolâ Brunsuigâ, IV. „ Sept. cIↄ Iↄccxvi. ad me datâ: Cum Domino D. NABOTHO vel alio Anatomico insigni apud Lipsienses communicanda judicavi, quæ ad me præscripsit Celeberrimus LEEWENHOOKIUS, Delfensis, Ovarii fœminarum haud approbator. Insignis Anatomici judicium expeto, sed (licet dissentiret) honorificum LEEWENHOOKIO, cujus sagacitas & industria æstimari merentur. Curabis pro benevolentiâ Tuâ, ut Leewenhokiana lecta & expensa mihi & quidem addito, quale dixi, judicio remittantur, KERCKRINGIUS & alii Ovarium fœminarum protulerunt. LEEWENHOOKIUS seminarium marium. ANDRIUS & alii quidem utrumque conjungunt. VALLISNERIUS oppugnat seminarium vivum LEEWENHOOKII, hortatus eum sum, ut suas objectiones proferat, vivo LEEWENHOOKIO; Contrà LEEWENHOOKIUS ovarium oppugnat, quod VALLISNERIUS defendit. IDEM in Epistolâ postremâ ad me datâ; Gratulor studiis, quibus in naturæ arcana magis magisque penetrare laboras. Post studium virtutis nullum est magis necessarium, quàm sanitatis, quod Physicæ specialis & Anatomiæ inprimis cogni-

cognitionem requirit. Optarem Dominum Doctorem PAULI & Dom. D. NABOTHUM paulò fuſius agere de re tanti momenti, quanta eſt generatio animalium, & uberiores eſſe tam in oppugnandâ Leewenhookianâ ſententiâ, quàm in aſtruendâ ſuâ. Vellem enim rem agitari diligenter, vivo adhuc LEEWENHOOKIO, qui eſt admodum ſenex. Ita enim, re diſcuſsâ ab egregiis viris, certius emicabit veritas. Quod negant, à ſe viſos vermiculos in ſeminibus quibusdam, vereor, ut ſufficiat, cùm tot alii viderint, aut ſe vidiſſe putent, & inter alios HARTSOECKERUS, qui multus eſt in eâ re, ſed & HUGENIUS vir magni acuminis, magnique judicii Leewenhookianis obſervationibus, cùm primùm prodière, adſtipulari videbatur. Argumento Domini D. PAULI, de multitudine animalculorum ſeminalium inutili, quæ ſapientiæ divinæ haud conveni- re videatur, non malè occurrit LEEWENHOOKIUS ab exemplis in plantis & conſilio abundandi in naturâ. Neque enim inutilia ideò ſunt reliqua, quæ pereunt, animalia, non magis, quàm ephemera aut alia brevis ævi. Nec dubium eſt, *hæc quoque ad motum cæterorum propagari per ſexûs.* Cæterùm, quæ pereunt, bruta ſunt, & ſola quorum ſuccedit transformatio, animam rationalem, vel accipiunt, vel habent ab initio rerum præſtabilitam inditamque. Deſiderem ergò rem tantam tractari curatius. „

Jo Wilh. Pauli.
Mart. Nabothus.
Hartſoeckerus.
Hugenius.

THEOREMA CXVII.

Principia Philoſophiæ §. 76.
Generatio naturalis animalium.

Generatio naturalis infert evolutionem & accretionem organorum in corpore, & ſtatum perceptionum evolutioni & accretioni organorum, in Monade derivativâ reſpondentem.

Demonſtratio.

Cùm non detur in univerſo creaturarum Vivorum generatio totalis, *per theor. 115.* & hæc involvat tranſitum animalis, cum omnibus organis ſuis è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum actualitatis ſivè ſucceſſione in inſtanti, *per def. 220.* Generatio naturalis vivorum præſupponit organorum in ſeminibus præformationem, & Monadis dominan-

minantis præexiſtentiam ante conceptionem, *per ax.* 1. *def.* 206. Ergo generatio naturalis infert evolutionem & accretionem organorum in corpore, & ſtatum perceptionum, evolutioni & accretioni iſti organorum reſpondentem in ipsâ Monade. Q. E. D.

Generatio nulla in inſtanti.

Coroll. Nulla generatio naturalis completa fit in inſtanti.

Principia Philoſophiæ §. 76, 83. *col.* 1.

Mors naturalis animalium.

THEOREMA CXVIII.

Mors naturalis infert involutionem & diminutionem organorum præſentium in corpore, & ſtuporem temporarium in Monade derivativâ.

Demonſtratio.

IN nullum Vivum mors totalis cadit, *per theor.* 115. adeoque corpus organicum viventis non deſtruitur ſimul & uno ictu, *per def.* 221. Ergo Mors naturalis viventium non plus infert, quàm involutionem & diminutionem organorum præſentium in corpore, & ſtuporem temporarium in Monade derivativâ, ſtatum illum organorum repræſentantem. Q. E. D.

Mors nulla in inſtanti. *G. B. Bülffingerus.* *G. G. Leibnitius.*

Coroll. Mors naturalis, ſive corporis ſive totius animalis, completa non fit in inſtanti. Conf. BüLFFINGERUS in Dilucid. Philoſ. *Sect. III. cap. V.* §. *CCCLXVIII. p.* 399.

Scholion: LEIBNITIUS uti ſolebat ſimili à Lumine deſumto, & organa humana per mortem naturalem in ſtatum ſubtilitatis infinities majorem evehi, probabile judicabat, ipſo lumine, quod à corporibus craſſis adhuc refractionem pati, obſervamus.

Principia Philoſophiæ §. 79.

Vivorum indeſtructibilitas.

THEOREMA CXIX.

Nullum Vivum poſt mortem naturalem exiſtere deſinit.

Demonſtratio.

NUllius viventis mors naturalis plus infert præterquàm involutionem & diminutionem corporis organici præſen-

ſentis, alicujus monadis dominantis, *per theor. 118* & hæc naturaliter interire non poteſt, *per theor. 8.* Ergò nullum vivum poſt mortem naturalem exiſtere deſinit, *per def. 231.* Q. E. D.

Coroll. I. Omne Vivum eſt indeſtructibile, *per def. 232.*

Coroll. II. Monades ſunt *ſpecula Univerſi viva & perpetua, per cor. 1. theor. 94.*

Coroll. III. Omne animal rationale eſt immortale, *per def. 209. & def. 233.*

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur EXILIUM MORTIS, à Philoſopho aſſertum, *Tom. II. du Recueil. p. 283.* add. BüLFFINGERUS in Dilucid. Philoſoph. *Sect. III. c. V. §. CCCXVII. p. 397.* Eleganter PHILOSOPHUS in Epiſtolâ Hanoverâ XXV. Julii cIↄ Iↄccvii. ad me datâ: Nullâ DEO in univerſo ſubſtantia ,, (ſimplex ſcilicet,) neque perſona in ſuo regno perit. Et in Epi- ,, ſtolâ ad REMOND *Tom. II. du Recueil. p. 188.* Chaque Mo- ,, nade eſt un Miroir vivant de l'Univers ſuivant ſon point de vûë, ,, *per cor. 3.*

Scholion II. Utrum hoc Theorema jam veteribus fuerit cognitum eruditè diſputat & LEIBNITIO gloriam inventionis tribuit des MAIZEAUX in Epiſtolâ ad Abbatem CONTI *Tom. II. du Recueil. p. 368 -- 380. incl.* Ipſe LEIBNITIUS ad locum HIPPOCRATIS *Lib. I. περὶ διαίτης ὑγιαινόντων Cap. IV. & V. Tom. VI. p. 450.* ed. Pariſ. obſervat ſequentia: La ſimple conſervation de la ma- ,, tiére, ou des Elemens, ne paroit pas ſuffire à expliquer l' au ,, teur de la Diéte, puis qu' il dit poſitivement, *qu' aucun vi-* ,, *vant ne meurt*, & generalement, *qu' aucun véritable être* (au- ,, cune ſubſtance) *ne ſauroit naître, nî périr*: S' il entendoit la ,, ſeule conſervation de la matiére, en parleroit-il ainſi? Du ,, moins il faudra avoüer, qu' en ce cas ſes paroles convien- ,, droient mieux à mon ſyſtême, qu' au ſien. *Tom. II. du Recueil.* ,, *p. 387.* THOMAS CAMPANELLA *Part. II. Metaph. Lib. VII. cap. V. art. VI. p. 145. nullum Ens DEO mori & mundo, ſed transmutari, nec dari annihilationem* variis probat rationibus, cùm mors ſit propriè compoſitorum ex diverſis, *Part. III. Lib. XVIII. cap. I. art. I. p. 249.*

Scholion III. Theologi etiam Proteſtantes ſapientiores cum THOMA AQUINATE agnoſcunt poſſibilitatem creationis Mundi ab æterno.

Principia Philoſophiæ §. 56. 60. Monades ſpecula Univerſi viva & perpetua. Animalium ratiocinalium immortalitas. Exilium Mortis. *G. G. Leibnitius. Ge. Bernh. Bülffingerus. des Maizeaux Conti. G. G Leibnitius Hippocrates. Thomas Campanella. Thomas de Aquino.*

God. Guil. Leibnitius.

æterno. LEIBNITIUS mundi creationem in tempore admittit sub hypothesi Epist. V. ad CLARKIUM *§. LXXIV. p. 124.* Si „ la nature de choses dans le total, est de croître uniformement „ en perfection, l' Univers des creatures doit avoir commencé. „ Ainsi il y aura des raisons pour limiter la durée des choses, „ quand même il n' y eu auroit point pour en limiter l' étendüe. „ De plus, le commencement du monde ne deroge point à l' in- „ finité de sa durée *à parte post*, ou dans la suite ; mais les bor- „ nes de l' univers derogeroient à l' infinité de son étendüe. Ain- „ si il est plus raisonnable d' en poser un commencement, que „ d' en admettre des bornes ; afin de conserver dans l' un & „ dans l' autre le caractére d' un Auteur infini. Cæterùm duratio universi, etiam *à parte ante* per nullum numerum determinatum assignabilis, ab æternitate DEI differt contradictoriè: quatenus oppositum æternitatis in DEO est absolutè impossibile, oppositum durationis Universi infinitæ absolutè est possibile. Memini LEIBNITIUM mihi auctoritatem Scripturæ Sacræ obji- „ cienti, inter alia respondisse : *Nihil se invenire in Scripturâ Sa- „ crâ quod principiis suis contradicat, & voces in fontibus ipsis no- „ tiones admittere, principiis suis consonas : plura autem requi- „ ri ad veritatem hanc facti ex Sacris literis invictè demonstran- „ dam & sapienti persuadendam, quàm vulgus Theologorum cre- „ dat.* In genere dicere solebat de paradoxis nostro sæculo veritatibus : *fore, ut oppugnatores sanctæ suæ simplicitatis, aliquando puteat.* Philosophis in dijudicandis hujus controversiæ momentis acumen & modestia Cl. BüLFFINGERI exempli loco esse possunt. Vid. Dilucidat. Philosoph. *Sect. II. cap. IV. §. CXCI. p. 185. §. CXCIV. p. 187. Sect. IV. cap. IV. §. CCCCLXV. p. 537.*

Duratio infinita & æternitas.

Monadum & organorum Variatio in morte naturali.

Scholion IV. Monas derivativa in morte naturali, variatur quà gradûs perdurantis : organa autem variantur quà compositionem, consequenter quà essentiam, hujus vel illius compositi in existentiam in hoc vel illo subjecto, *per def. 49. & cor. 2. def. 194.*

THEO-

THEOREMA CXX.

Creatio & annihilatio sunt miracula.

Creatio & Annihilatio miracula.

Demonstratio.

EX creatione ratio ultima reddi potest, cur aliquid, quod in se est possibile, fiat actuale, *per def. 229.* ex annihilatione autem ratio ultima reddi potest, cur aliquid, quod est actuale, desinat esse actuale, *per def. 231.* consequenter utraque involvit mutationem ejusmodi in subjecto quodam possibili, vel actuali, cujus ratio sufficiens non continetur in essentiâ ullius creaturæ. Sed talis mutatio est miraculum, *per def. 242.* Ergo Creatio & Annihilatio sunt Miracula. Q. E. D.

Coroll. Monades incipiunt & desinunt existere per miraculum *per theor. 10. 11.* LEIBNITIUS *Journal des Sçavans 1695. p. 447.*

Monadum existentia miraculosa.

Scholion : IDEM in Epistolâ Viennâ XIV. Junii cIↄ Iↄccxiii. ad me datâ : Ad miracula propriè sic dicta refero creationem, an- „ nihilationem, & incarnationem Filii DEI. Addantur Discursus „ præliminaris de Conformitate fidei & rationis §. *III. p. 5.* Theodicæa ipsa *Part. I. §. LIV. p. 166. Part. II. §. CCVI. CCVII. p. 382. Part. III. §. CCXLIX. p. 429. seq.*

G. G. Leibnitius. Miracula propriè sic dicta.

THEOREMA CXXI.

Harmonia rerum universalis præstabilita est principium harmoniæ animæ & corporis humani præstabilitæ.

Principia Philosophiæ §. 83. Principium Harmoniæ animæ & corporis humani.

Demonstratio.

HArmonia animæ & corporis humani præstabilita consistit in connexione, à DEO prævisâ, perceptionum singularum animæ alicujus cum determinatis corporis alicujus motibus, vi cujus DEUS existentiam dedit spontè animæ se ipsam determinanti ad perceptiones suas successivè evolvendas, secundùm locum corporis alicujus in universo,

ſo, eodem ordine quo ſibi ſuccedunt impreſſiones corporum circumſtantium in organa ejusdem ſenſoria, & corpus tale ſecundùm illam exigentiam condidit, quod ad motûs, perceptionibus congruos, per vim motricem juſto gradu, ordine & tempore producendos, determinatur, ità ut ex iis quæ fiunt in animâ, poſſint inveniri, quæ fiunt in corpore, *per def. 267.* conſequenter rationem ſufficientem invenit in tali omnium entium ſimplicium & compoſitorum in principio rerum ad ſe invicem adaptationi in Ideis eorum fundatâ, vi cujus à ſingulis ſimplicibus & compoſitis omnia ſimplicia & compoſita in univerſo, naturæ ſuæ convenienter, repræſentantur, ut intellectus infinitus in quolibet ente ſimplici & compoſito intueatur omnia, quæ fiunt in omnibus entibus ſimplicibus & compoſitis, *per ax. 1.* conſequenter Harmonia Animæ & corporis humani rationem ſufficientem invenit in Harmonia rerum univerſali *per def. 274.* Ergo Harmonia rerum univerſalis eſt principium harmoniæ animæ & corporis humani, *per def. 16.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ. §. 84. Unio animæ & corporis metaphyſica.

Scholion I. Harmonia Animæ & Corporis humani præſtabilita dici poteſt *Unio*, in ſenſu metaphyſico, quatenus Anima & corpus humanum conſtituunt Unicam perſonam; non autem in ſenſu phyſico, quatenus unio duorum compoſitorum infert influxum phyſicum unius in alterum.

G. B. Bülffingerus.

Scholion II. Non datur alius modus NATURALITER explicandi commercium animæ & corporis humani mutuum. Videatur BüLFFINGERUS *in Dilucid. Philoſ. Sect. III. cap. IV. §. CCCXXI. CCCXXII. p. 314. ſeqq.*

Principia Philoſophiæ §. 83. Chr. Wolfius.

Scholion III. Quomodo CARTESII Syſtema cum Syſtemate Leibnitiano conciliari & ad illud reduci poſſit, oſtendit Acutiſſimus ævi noſtri Philoſophus CHR. WOLFIUS *in Annotat. Metaph. p. 422. 425. 429. 596.* BüLFFINGER. *loc. cit. §. CCCXLVI. pag. 351.*

THEO-

THEOREMA CXXII.

Principia Philosophiae [illegible]. Regna duo causarum efficientium & finalium harmonica.

Duo regna naturalia causarum efficientium & causarum finalium inter se sunt harmonica.

Demonstratio.

Cùm Monades derivativæ repræsentent Universum, mediante corpore quodam organico, *per theor.* 112. ex iis, quæ fiunt in monadibus inveniri possunt ea, quæ fiunt in corporibus, consequenter datur Harmonia inter perceptiones Monadum & impressiones, ab ambientibus corporibus in organa ipsorum factas, *per def.* 265. Sed perceptionum in monadibus successio sequitur leges appetituum, *per theor.* 30. 31. & successio motuum in corporibus sequitur leges motuum, *per theor.* 106. Leges autem appetituum fundantur in connexione finium & mediorum, *per def.* 106. & Leges motuum in connexione causarum efficientium, *per def.* 183. Quamobrem connexio causarum efficientium inter se talem habet relationem ad connexionem causarum finalium inter se, à DEO in ideis utriusque prævisam, ut una ex alterâ possit inveniri. Ergò duo regna naturalia causarum efficientium & causarum finalium inter se sunt harmonica, *per def.* 265. Q. E. D.

THEOREMA CXXIII.

Principia Philosophiæ 83. Principium Harmoniæ inter duo regna naturalia.

Lex naturæ qua eadem virium motricium quantitas & eadem directio totalis in universo corporeo conservantur, est principium harmoniæ inter duo regna naturalia.

Demonstratio.

Non datur Vacuum in universo corporeo, *per theor.* 99. & monades sunt indestructibiles *per theor.* 8. Ergo eadem conservatur quantitas materiæ in universo corporeo, *per theor.* 102. consequenter quantitas virium motricium & dire-

directio totalis in universo corporeo eædem manent, ante & post conflictum corporum, *per def.* 188. *&* *def.* 180. consequenter directio nova motûs in corporibus non potest produci per influxum physicum à monadibus, *per def.* 196. Sed in eo quod nulla directio motûs corporum à monadibus per influxum physicum produci potest, rationem sufficientem agnoscit relatio talis connexionis causarum efficientium ad connexionem causarum finalium, vi cujus una inveniri potest ex alterâ dum sese mutuò repræsentant. Ergo Lex naturæ, quâ eadem virium motricium quantitas & eadem directio totalis in universo corporeo conservantur, est principium harmoniæ inter duo regna naturalia, *per def.* 266. *&* *def.* 16. Q. E. D.

G. G. Leibnitius. Eadem quantitas motus an conservetur in universo? *Principia Philosophiæ* 85. Animæ rationales ante conceptionem sensitivæ.

Scholion. Videatur LEIBNITII demonstratio erroris de eâdem quantitate motûs in Actis Eruditorum Lips. cIↄ IↄCLXXXVI. *p.* 161. *seq.* addatur Epistola ad REMOND *Tom. II. du Recueil. p.* 135.

THEOREMA CXXIV.

Animæ rationales ante conceptionem tantum sunt animæ sensitivæ.

Declaratio.

Animæ rationales cum organis suis præexistunt ante conceptionem, *per cor. theor.* 115. *&* *def.* 206. 132. Organa tamen illarum nondum sunt humana, *per cor.* 2. *theor.* 114. adeoque animæ rationales ante conceptionem nondum repræsentant motûs corporis humani, *per theor.* 112. Sed cum organa animarum mediante conceptione, transformentur in organa perfectioris structuræ, quatenus omnis mutatio in universo non destructiva, sed perfectiva est, ipsæ etiam animæ evehuntur ad majorem distinctionis in repræsentatione gradum, organis perfectioribus respondentem, *per theor.* 112. Ergo animæ rationales ante conceptionem tantùm sunt animæ sensitivæ.

Scholion.

Scholion. LEIBNITIUS in Causâ DEI assertâ *§. LXXXI. p. 28. coll. Theodicææ Part. I. §. XCI. p. 208. seq. Tom. II. du Recueil. p. 187. seq.* supponit in conceptione fieri elevationem sive transmutationem animalculorum spermaticorum in species animalium majorum, *per experientiam Physicorum recentiorum :* non tamen definit : *an anima præexistens sensitiva evehatur ad statum animæ rationalis ordinariâ an extraordinariâ DEI operatione ;* item, *an detur medium naturale evehendi animam sensitivam ad gradum rationalitatis; vel an DEUS illi rationem largiatur operatione particulari per speciem quandam transcreationis ?* id quod facilius ipsi videtur admitti posse, quoniam revelatione teste, constet, plures operationes DEI esse immediatas in animas nostras. Item in Theodicæâ *Part. III. §. CCCXCVII. p. 595. seqq. coll. §. CCCXXXIV. p. 339.* Hæc animæ elevatio, quæ illam transducit in gradum „ essentialem sublimiorem, scilicet rationem, adscribi potest ope- „ rationi divinæ extraordinariæ. Fatetur tamen, se malle in ge- „ neratione hominum æquè ac cæterorum animalium evitare mi- „ racula, & explicari posse negotium, si concipias, quod in ma- „ ximâ illâ copiâ animarum & animalium aut corporum saltem „ organicorum viventium, quæ sunt in seminibus, illæ solæ ani- „ mæ, quæ olim, ut ad naturam humanam deveniant, destinatæ „ sunt, rationem suo tempore sese manifestaturam, involvant, „ & quod sola corpora organica sint præformata & prædispo- „ sita ad formam humanam olim recipiendam ; cætera autem „ animalia aut viventia seminalia, in quibus nil tale præstabilitum „ est, essentialiter à prioribus differre, & in universum illis inferio- „ ra esse. „

G. G. Leibnitius. Conceptionis ratio.

THEOREMA CXXV.

Principia Philosophiæ §. 86. Animæ rationales simulacra Divinitatis.

Animæ rationales sunt simul specula Universi creaturarum & simulacra ipsius Divinitatis.

Demonstratio.

ANimæ rationales, quatenus sunt Monades derivativæ *per def. 132.* sunt specula viva & perpetua Universi, *per cor. 2. theor. 119.* ; quatenus autem sunt animæ rationales quædam possibilia sibi distinctè repræsentant, *per def. cit.* & præditæ sunt Libertate se ipsas determinandi ad produ-

 ctio-

ctionem repræsentationis distinctæ alicujus possibilis, *per cor. 2. theor. 24.* adeoque possibilibus quibusdam ex arbitrio suo existentias & operationes suas determinare, horumque ope nova possibilia producere possunt. Ergò animæ rationales simul sunt simulacra ipsius Divinitatis, *per def. 273.* Q. E. D.

G. G Leibnitius.

Scholion I. Optimè PHILOSOPHUS in Epistolâ Hanoverâ XXV. „ Julii cIↄ Iↄccvii. ad me datâ : Mens non pars est, sed simula„ crum divinitatis, repræsentativum universi, civis divinæ Mo„ narchiæ.

Mechanica Tschirnhausiana desiderata.

Scholion II. Huc pertinet MECHANICA, quam animo conceperat Philosophus incomparabilis Per-illustris EHRENFRIED WALTHER de TSCHIRNHAUSEN. Intelligebat autem hoc nomine scientiam sublimiorem, adhuc desideratam, ex Physicâ, à priori demonstratâ, fluentem, quâ naturæ effectûs arte producuntur.

Principia Philosophiæ. §. 67.

DEUS Architectus sapientissimus & potentissimus.

THEOREMA CXXVI.

DEUS respectu Universi creaturarum in genere est inventor sive Architectus sapientissimus & potentissimus.

Demonstratio.

Cùm intellectus DEI sibi omnia universa possibilia simul distinctè repræsentet *per theor. 61* DEUS etiam Ideam universi creaturarum illam invenire potest, quæ fini sibi proposito satisfacit, *per ax. 1.* Sed cujus intellectus operis ideam invenire potest, fini, sibi proposito, satisfacientem, est Architectus *per. def. 225.* Ergo DEUS respectu universi creaturarum est inventor sive Architectus, *per def. 226.* Sed universum existens est optimum, *per theor. 83.* & proinde in illo consensus mediorum atque finium omnium maximus possibilis est, *per Schol. def. 140* adeoque DEUS respectu universi creaturarum est Architectus sapientissimus, *per theor. 63.* Et cùm in DEO etiam detur ratio ultima existentiæ universi optimi, *per cor. theor. 59.* & voluntas ejus sit

ſit principium melioris, *per theor. 74.* tanta in eo eſt abundantia realitatis, ut ſufficiat exhibendæ exiſtentiæ univerſi optimi, è pluribus univerſis poſſibilibus ſapientiſſimè electi, conſeq. DEUS reſpectu Univerſi creaturarum etiam eſt Architectus potentiſſimus, *per theor. 60.* Ergò DEUS reſpectu univerſi creaturarum in genere eſt inventor ſive Architectus ſapientiſſimus & potentiſſimus. Q. E. D.

Coroll. Univerſum eſt ſpeculum divinæ magnitudinis *per def. 271. & def. 247.*

Univerſum ſpeculum divinæ magnitudinis.

THEOREMA CXXVII.

DEUS reſpectu animarum rationalium in ſpecie ſimul eſt Monarcha Optimus.

Principia Philoſophiæ §. 87.

DEUS Monarcha Optimus.

Demonſtratio.

Cùm animæ rationales ſint ſimul ſimulacra divinitatis, non nuda univerſi creaturarum ſpecula, *per theor. 125.* animæ rationales actionibus ſuis divinam agendi rationem imitantur & repræſentant, *per def. 273.* pro modulo eſſentiæ ſuæ, *per theor. 76.* & proinde etiam per eſſentiam ſuam aptæ ſunt, ut cum DEO ad eundem actionum finem obtinendum conjungantur, conſequenter DEUS cum animabus rationalibus ſocietatem aliquam conſtituit, *per def. 254.* quæ una eſt DEI civitas, *per def. 255.* Sed DEUS in hâc civitate eſt Ens infinitè potens *per theor. 60.* & independens, *per cor. theor. 59.* adeoque in Civitate DEI à ſolius DEI arbitrio cura beatitudinis omnium animarum rationalium pendet, *per def. 245. & def. 29.* Ergo Civitas DEI eſt Monarchia, *per def. 257.* & DEUS reſpectu animarum rationalium in ſpecie ſimul eſt Monarcha, *per def. 258.* Eſt autem DEUS ſimul bonitate abſolutè perfectâ præditus, *per theor. 66.* adeoque voluntas ejus fertur ad conferendam omnibus animabus rationalibus perfectionem maximam poſſibilem, *per def. 243.* Ergò DEUS reſpectu animarum rationalium in ſpecie non tantùm eſt Architectus ſeu inventor ſapientiſſimus & potentiſſimus, ſed ſimul eſt Monarcha optimus, *per def. 258.* Q. E. D.

Et Parens optimus. Civitas DEI ſpeculum divinæ bonitatis.

Coroll. I. Monarcha optimus eam ad cives ſuos habet relationem, quam habet Parens ad ſuos liberos, conſeq. DEUS reſpectu animarum rationalium etiam eſt Parens optimus.

Coroll. II. Civitas DEI eſt ſpeculum bonitatis divinæ *per def. 271. & def. 243.*

Principia Philoſophiæ §. 88. DEUS monarcha perfectiſſimus.

THEOREMA CXXVIII.

DEUS eſt Monarcha perfectiſſimus.

Demonſtratio.

DEUS eſt Monarcha *per theor. 127.* idem etiam eſt abſolutè perfectus *per cor. theor. 59.* & infinitus *per cor. cit.* adeoque illius magnitudo & bonitas ſufficiunt procurandæ beatitudini maximæ poſſibili omnium animarum rationalium, *per def. 247. & def. 243.* Ergò DEUS eſt Monarcha perfectiſſimus, *per def. 258.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 89. Civitas DEI Monarchia univerſalis.

THEOREMA CXXIX.

Civitas DEI eſt Monarchia Univerſalis.

Demonſtratio.

CIvitas DEI eſt Monarchia, *per theor. 127.* & omnes animas rationales ſocietatis ineundæ capaces, complectitur, *per def. 255.* Ergò Civitas DEI eſt Monarchia Univerſalis, *per def. 257.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 89. Perfectiſſima.

THEOREMA CXXX.

Civitas DEI eſt Monarchia perfectiſſima.

Demonſtratio.

CIvitas DEI eſt Monarchia univerſalis, *per theor. 129.* ejusque Monarcha eſt perfectiſſimus, *per theor. 128.* Ergo Civitas DEI eſt Monarchia perfectiſſima, *per def. 259.* Q. E. D.

THEO-

THEOREMA CXXXI.

Miseria propriè sic dicta in Civitate DEI nulla est.

Miseria in civitate DEI nulla.

Demonstratio.

CIvitas DEI est Monarchia perfectissima, *per theor. 130.* consequenter in civitate DEI magnitudo & bonitas Monarchæ sufficiunt procurandæ beatitudini maximæ possibili omnium civium, *per def. 258. 259.* Non datur igitur in civitate DEI status perpetuæ calamitatis civis boni, *per ax. 1.* Ergò miseria, propriè sic dicta, in Civitate DEI nulla est, *per def. 261.* Q. E. D. Item:

In Civitate DEI nulla actio bona sine remuneratione & nulla mala sine pœna datur, *per cor. theor. 67.* adeoque nec datur status perpetuæ calamitatis civis boni, *per ax. 1.* Ergo miseria, propriè sic dicta, in civitate DEI nulla est, *per def. 261.* Q. E. D.

Scholion: LEIBNITIUS in Epistolâ Hanoverâ XXX. Sept. cIↄ Iↄccxi. ad me datâ; Quod ad dubia tua attinet inter æternas veritates habendum est, neminem à justo judice, nisi ob culpam suam damnari, culpa autem, nisi intelligentis & volentis, nulla est. Si quis secus sentit, novas justitiæ notiones fingat, oportet, quas DEO attribuat, vel DEUM quidvis jure posse dicet: alterutro autem modo incidet in sententias durissimas Supralapsariorum."

G. G. Leibnitius.

THEOREMA CXXXII.

Gloria DEI involvit Spirituum finitorum existentiam.

Principia Philosophiæ. §. 89. Gloria DEI sine Spirituum finitorum existentia nulla.

Demonstratio.

GLoria DEI est satisfactio, quam DEUS invenit in perfectionibus suis, quatenus cognitæ Spiritibus finitis admirationi sunt, *per def. 248.* adeoque involvit cognitionem & admirationem Spirituum finitorum. Ergò & gloria DEI involvit spirituum finitorum existentiam, *per ax. 1.* Q. E. D.

Principia Philosophiæ §. *90.* Harmonia inter regnum naturæ & inter regnum gratiæ perpetua.

THEOREMA CXXXIII.

Datur Harmonia perpetua inter Regnum naturæ & inter Regnum Gratiæ.

Demonſtratio.

Cùm univerſum exiſtens ſit optimum *per theor. 83.* & harmonia univerſalis ſit medium naturale tantùm perfectionis in illo obtinendi, quantum poſſibile eſt, *per theor. 95.* talis etiam Machina Mundi corporea à DEO electa eſt, ex quâ ratio reddi poteſt regiminis optimi ſpirituum, & tale regimen ſpirituum ex quo inveniri poteſt ipſa Machina Mundi corporea perfectiſſima. Ergo datur harmonia perpetua inter regnum naturæ & inter regnum gratiæ, *per def. 269.* Q. E. D.

Principia Philoſophiæ 91. Mundus moralis in mundo naturali. Phænomena naturalia divini monitores.

Coroll. I. Regnum gratiæ eſt mundus moralis in Mundo naturali.

Coroll. II. Phænomena naturalia ex intentione DEI ſunt divini monitores, reſpectu ſpirituum finitorum.

Theologia Aſtronomica.

Scholion I. In hoc Theoremate fundatur THEOLOGIA ASTRONOMICA, cujus mentionem injicit PHILOSOPHUS in Theodicæâ §. *XIII. p. 125. ſeqq.*

Syſtema Philoſophiæ Tſchirnhauſianum.

Scholion II. Quæ ſequuntur Theoremata ſunt Corollaria quædam, maximam partem ad philoſophiam practicam ſpectant, & ex Syſtemate Leibnitiano fluentia. Philoſophia enim Practica fundatur in Philoſophiâ Theoreticâ. Hinc tale Philoſophiæ Univerſæ Syſtema animo conceperat TSCHIRNHAUSENIUS: Initium philoſophandi ab *experimentis* ducebat, quibus admiratio in animis excitatur, naturaliter ſciendi cupidis, quam matrem philoſophiæ & ignorantiæ filiam cum veteribus vocare ſolebat: inde progrediebatur ad *Univerſam Matheſin.* Ex Matheſi derivabat *Logicam genuinam*, ſive Regulas artis inveniendi generales. Logicæ beneficio *Phyſicam* primum in formam ſcientiæ redigi volebat: ex hâc porrò *Medicinam corporis*, *Mechanicam ſublimiorem & Metaphyſicam;* Ex phyſicâ & metaphyſicâ *Ethicam ſuam perfectiſſimam* & ex Metaphyſicâ atque Ethicâ *Politicam perfectiſſimam* deducebat.

THEO-

THEOREMA CXXXIV.

Pœnæ per ordinem naturæ actiones malas & remunerationes per eundem actiones bonas consequuntur.

Principia Philosophiæ §. 92. Pœnæ & remunerationes naturales.

Demonstratio.

DAtur harmonia perpetua inter regnum naturæ & inter regnum gratiæ, *per theor. 133.* & regnum gratiæ consistit in administratione optimâ regiminis spirituum finitorum in regno naturali, *per def. 268.* adeoque regnum gratiæ in ipso naturæ regno sapientissimam pœnarum & remunerationum involvit distributionem. Quamobrem regnum gratiæ involvit naturalem connexionem sensûs mali physici, cum actione malâ, &, vi oppositorum sensûs perfectionis physicæ cùm actione bonâ spirituum finitorum. Ergò pœnæ per ordinem naturæ actiones malas, & remunerationes per eundem naturæ ordinem actiones bonas consequuntur, *per def. 191. & def. 163.* Q. E. D.

THEOREMA CXXXV.

Pœnæ naturales & remunerationes naturales non necessariò extemplò consequuntur actiones creaturarum rationalium malas & bonas.

Principia Philosophiæ §. 92. Non extemplò benè & male facta consequuntur necessariò.

Demonstratio.

Cùm pœnæ & remunerationes naturales consistant in sensu mali physici & perfectionis physicæ, qui rationem sufficientem existentiæ suæ agnoscit in successione impressionum in corporibus, secundùm leges motuum, à DEO sapientissimè electas, *per def. 163.* illæ non consequuntur, nisi ex motu antecedenti tali, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ ipsarum, *per ax. 1.* Sed quod non consequitur, nisi ex motu tali antecedente, illud non necessariò consequitur ex motu quovis immediatè antecedente, consequenter nec immediatè semper coëxistit actionibus malis & bonis creaturarum rationalium. Ergo pœnæ naturales & remu-

remunerationes naturales non necessariò extemplò consequuntur actiones creaturarum rationalium malas & bonas. Q. E. D.

Poenæ positivæ quando necessariæ sint.

Coroll. Pœnæ positivæ non sunt necessariæ, nisi cùm non sufficiunt pœnæ naturales, *per def. 164.*

THEOREMA CXXXVI.

Principia Philosophiæ §. 93.

Ordo naturæ suprà vota sapientissimi.

Ordo naturæ vota sapientissimi superat.

Demonstratio.

ORdo naturæ involvit coëxistentiam & successionem motuum in regno naturæ, quam Voluntas elegit, quæ est principium non nisi melioris, *per def. 191. & theor. 74.* adeoque leges ejusdem, adæquatè cognitæ, perfectionem maximam possibilem continent, *per def. 158.* & proinde in Ordine naturæ, à DEO sapientissimè electo, & adæquatè cognito, plus perfectionis invenitur, quàm Spiritus quicunque finitus desiderare potest. Ergò ordo naturæ vota sapientissimi superat. Q. E. D.

THEOREMA CXXXVII.

Status calamitatis transiens an miseria propriè sic dicta.

Status calamitatis transiens, respectu innocentis, non est miseria propriè sic dicta.

Demonstratio.

STatus calamitatis transiens, respectu innocentis, in ordine naturæ continetur, qui vota sapientissimi superat, *per theor. 136.* adeoque status calamitatis transiens, respectu innocentis, in ordine naturæ per tantam compensationis abundantiam ad harmoniam universalem reducitur, ut innocens, intuitu perfectionum, quibus afflictio ejus, quam ipsi, Optimus Monarcha in hâc vel illâ temporis periodo, ob rationes superiores, accidere permittit, posteà compensatur, nollet, tot & tanta esse passus. Ergò status calamitatis transiens, respectu innocentis, non est Miseria propriè sic dicta, *per def. 261.* Q. E. D.

Scholion.

Scholion. In hoc Theoremate fundatur CONSOLATIO PHILOSOPHICA SAPIENTIS, quæ tamen præsupponit innocentiam in subjecto patiente. Vid. Celeb. BüLFFINGERUS in Commentatione philosophicâ de Origine & Permissione Mali *Sect. IV. §. CCCCLXXIV. p. 449.* Consolatio Philosophiæ sapientis. *G.B. Bülffingerus.*

THEOREMA CXXXVIII.

Principia Philosophiæ § 93. In Civitate DEI omnia vergunt in salutem bonorum:

In Civitate DEI omnia vergunt in salutem bonorum civium.

Demonstratio.

Cùm in civitate DEI nulla omninò detur miseria, propriè sic dicta, *per theor. 131.* in eâdem etiam in nullum civem, qui voluntatem Monarchæ sui præsumtivam constanter exequi conatur, cadit status perpetuæ calamitatis, *per def. 261.* Status autem calamitatis transiens, respectu innocentis, non est miseria, propriè sic dicta, *per theor. 137.* Ergò in civitate DEI omnia vergunt in salutem bonorum civium, *per def. 260.* Q. E. D.

THEOREMA CXXXIX.

Principia Philosophiæ 93. Qui divino regimine contenti sunt.

Civis bonus in Civitate DEI regimine Monarchæ sui contentus est.

Demonstratio.

Civis bonus novit, omnia, quæ sibi evenire possunt, sibi in salutem vergere, *per theor. 138.* certus etiam est de amplitudine compensationis calamitatum transitoriarum, *per theor. 137.* Ergo Civis bonus in Civitate DEI regimine Monarchæ sui contentus est. Q. E. D.

THEOREMA CXL.

Principia Philosophiæ §. 93. Confidunt in divinâ providentiâ:

Civis bonus in Civitate DEI confidit in divinâ providentiâ.

Demonstratio.

Civis bonus convictus est non tantùm de infinitâ DEI sapientiâ atque potentiâ; *per theor. 126.* sed & de infinitâ

ejusdem bonitate, *per theor.* 127. adeoque voluntati civis boni præſtò ſunt omnia motiva, ad fiduciam in divinâ providentiâ ponendam, neceſſaria, *per Schol. def.* 268. Ergò Civis bonus in civitate DEI confidit in divinâ providentiâ, *per theor.* 31. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 93. Amant Monarcham ſuum perfectiſſimum:

THEOREMA CXLI.

Civis bonus in Civitate DEI amat Monarcham ſuum perfectiſſimum.

Demonſtratio.

CIvis bonus confidit in divinâ providentiâ *per theor.* 140. & proinde divinam ſapientiam, potentiam & bonitatem per ſe expetit, *per Schol. def.* 268. Sed qui perfectionem aliquam per ſe expetit, illius voluntas promta eſt ad delectationem ex illius ſenſu capiendam, & per conſequens voluntas civis boni promta eſt, ad delectationem capiendam ex felicitate Monarchæ ſui perfectiſſimi, *per def.* 251. Ergo Civis bonus in Civitate DEI amat Monarcham ſuum perfectiſſimum, *per def.* 252. Q. E. D.

Principia Philoſophiæ §. 93. Eoque ipſo beati ſunt.

THEOREMA CXLII.

Beatitudo maxima poſſibilis Spirituum finitorum conſiſtit in amore puro Auctoris ſui.

Demonſtratio.

BEatitudo maxima poſſibilis ſpirituum finitorum conſiſtit in progreſſu non impedito ſpirituum finitorum ad perfectiones, quarum ſpiritus finitus per eſſentiam ſuam capax eſt, *per def.* 256. adeoque in illis infert promtitudinis voluntatis delectationem capiendi ex felicitate auctoris ſui *per def.* 251. Ergo Beatitudo maxima poſſibilis ſpirituum finitorum conſiſtit in Amore puro Auctoris ſui, *per def.* 252. Q. E. D.

God. Guil. Leibnitius.

Scholion: LEIBNITIUS in Epiſtolâ Hanoverâ XXV. Julii „ cIↄ Iↄccvii. ad me datâ: Philoſophos omnia ad ſe retuliſſe obji-

cit

cit AUGUSTINUS creaturamque adeò prætulisse creatori. Ego ,, verò vereor, ne hæc nimia sit subtilitas, qualis nuper quorundam, DEUM amari jubentium, nullo nostri respectu. Neque enim per naturam rerum fieri potest, ut quisquam suæ felicitatis rationem non habeat. Sed DEUM amantibus felicitas inde propria nascitur. Itaque cùm nondum prodiisset controversia illa nupera *de mercenarii & veri amoris discrimine*, ,, nodum videram & in Codicis Juris Gentium Præfatione dissolverem, definitione *Amoris* allatâ, quæ magno intelligentium ,, plausu acceptâ est, visaque decidere litem. *Amor* enim *verus*, ,, qui *mercenario* opponitur, est ille mentis affectus, quo ferimur ,, ad delectandum alterius felicitate, nam quibus delectamur, ea ,, per se expetimus. Porrò cùm *divina felicitas* sit omnium perfectionum confluxus, & *Delectatio* sit sensus perfectionis: hinc ,, consequens est, veram esse felicitatem creatæ mentis in sensu ,, divinæ felicitatis. Itaque qui rectum, verum, bonum, justum ,, quærunt, magis quia delectat, quàm quia prodest (quanquam ,, reverà maximè prosit) ii ad Amorem DEI maximè sunt præparati ex ipsius sententia AUGUSTINI, qui egregiè ostendit, bonos frui DEO velle, malos uti, & probat, quod Platonici volebant, commutationem amoris divini cum caduco esse causam ,, lapsûs animarum. Neque igitur nostra felicitas ab Amore DEI ,, separari potest. ,,

Augustinus.

Felicitas divina. Delectatio.

Augustinus.

THEOREMA CXLIII.

Civis bonus in civitate DEI acquiescit in Voluntate consequente Monarchæ sui.

Principia Philosophiæ §. 93.

Acquiescunt in voluntate DEI consequente:

Demonstratio.

Civis bonus confidit in divina providentiâ, *per theor.* 140. adeoque acquiescit in decreto DEI finali, quo producit Optimum *per ax. 1.* Ergò civis bonus in civitate DEI acquiescit in voluntate consequente Monarchæ sui, *per def.* 241. Q. E. D.

Abnegatio sui philosophicia & Resignatio creatæ mentis in divinam voluntatem. Cultus divinus.

Scholion: In hoc Theoremate fundantur tum ABNEGATIO SUI PHILOSOPHICA, tum RESIGNATIO CREATÆ MENTIS IN VOLUNTATEM DIVINAM, quam ad Cultum DEI pertinere ex definitione Cultûs Wolfianâ facilè deducitur.

THEOREMA CXLIV.

Seriò intendunt Gloriam DEI.

Civis bonus in Civitate DEI seriò intendit GLORIAM DEI.

Demonſtratio.

CIvis bonus exequitur voluntatem præſumtivam Monarchæ ſui, *per def.* 260. & acquieſcit in voluntate illius conſequente, *per theor. 143.* adeoque voluntas Civis boni in civitate DEI ſemper eſt voluntas Monarchæ ſui, quatenus illa ipſi innoteſcit, *per ax.* 1. Sed Monarcha perfectiſſimus per creationem ſpirituum finitorum intendit gloriam ſuam, *per theor. 132.* conſequenter Civis bonus in civitate DEI etiam conatur efficere actionibus ſuis, ut in animabus rationalibus oriantur divinarum perfectionum ſolida cognitio atque intima admiratio, *per def. 248.* Ergò Civis bonus in civitate DEI ſeriò intendit GLORIAM DEI, *per def. 250.* Q. E. D.

Character ſeriò DEI Gloriam intententis,

Coroll. Civi bono in Civitate DEI perinde eſt, quo demum cuncunque mediante ſolida cognitio atque intima admiratio divinarum perfectionum in aliorum animis excitetur; qui cum id unice conatur efficere, in effectu hoc acquieſcit, ſivè mediatè ſivè immediatè à ſe producto.

Atque hæc GLORIA DEI

unicus etiam eſto

Principiorum Philoſophiæ Leibnitianorum, More geometrico demonſtratorum,

FINIS.



SERIES

SERIES THEOREMATUM,

quorum principaliora asterisco notantur; ex Principiis Philosophiæ Leibnitianis, more geometrico demonstratorum.

* I. MONADES existunt.
II. In Monadibus nulla locum habet extensio.
III. In Monadibus nulla locum habet Figura.
IV. In Monadibus nulla locum habet divisibilitas.
V. Monades sunt veræ Atomi Naturæ.
VI. Elementa rerum non sunt nisi Monades.
VII. Atomi molis non sunt Elementa rerum.
* VIII. Monades naturaliter interire non possunt.
* IX. Monades naturaliter oriri non possunt.
X. Monades incipere non possunt, nisi per creationem.
XI. Monades finiri non possunt, nisi per annihilationem.
XII. Partes compositorum non absolute necessariò occupant locum suum.
* XIII. Composita incipiunt existere sine creatione.
* XIV. Composita finiuntur sine annihilatione.
* XV. Nulla Monas derivativa physicè influere potest in interius alterius Monadis derivativæ.
XVI. In Monadem creatam forinsecus nec Substantia nec Accidens intrare possunt.
XVII. In Compositis motus internus ab aliis compositis excitari potest.
XVIII. Monades derivativæ certis quibusdam qualitatibus sunt præditæ.
* XIX. Nulla Monas creata in rerum Universitate alteri Monadi creatæ per omnia similis existit.
XX. Nullum Compositum in Universo creaturarum alteri composito per omnia simile existit.
XXI. Omne Ens creatum est finitum.
XXII. Omne Ens creatum mutationi est obnoxium.

XXIII. Mutationes Monadum derivativarum naturaliter continuæ ſunt.

* XXIV. Mutationes Monadum à principio interno proficiſcuntur.

* XXV. Omnis Monas derivativa Vi prædita eſt.

* XXVI. Monades derivativæ ſunt ſubſtantiæ.

XXVII. Qualitates, quibus Monades inter ſe differunt, in diverſis mutationum ſchematibus conſiſtunt.

* XXVIII. Omnis Monas derivativa perceptione prædita eſt.

XXIX. Cogitatio Animæ rationalis eſt Perceptio.

* XXX. Nulla Perceptio Monadis derivativæ eſt ſinè Appetitu.

XXXI. Appetitus Monadis creatæ ſemper pervenit ad novam Perceptionem.

XXXII. Nulla Monas derivativa ſinè omni perceptione ſubſiſtere poteſt.

* XXXIII. Eſſentiæ Compoſiti Perceptio repugnat.

XXXIV. Cogitatio Corpori ne quidem per abſolutam DEI potentiam communicari poteſt.

XXXV. Actiones internæ Monadum derivativarum non niſi in continuis perceptionum Variationibus conſiſtunt.

XXXVI. Monades creatæ nudæ in perpetuo ſunt ſtupore.

XXXVII. Memoria eſt principium Conſecutionis perceptionum in animabus ſenſitivis.

XXXVIII. Nuda conſecutio perceptionum non involvit Rationem.

XXXIX. Imaginatio & Memoria ſunt Principium Rationis.

XL. Ratio eſt principium ſcientiæ.

* XLI. Ratio eſt Principium actuum reflexorum in animâ rationali.

* XLII. Principium contradictionis eſt principium veritatum neceſſariarum.

XLIII. Ratio ſufficiens in veritatibus neceſſariis derivativis invenitur per earundem analyſin in veritates neceſſarias primitivas.

* XLIV. Principium rationis ſufficientis eſt principium veritatum contingentium.

XLV. Ratio ultima in veritatibus contingentibus non poteſt inveniri per analyſin in rationes particulares.

* XLVI. Ratio ſufficiens exiſtentiæ ſeriei contingentium infinitæ, datur extrà ſeriem infinitam contingentium.

* XLVII. Ratio ultima exiſtentiæ ſeriei contingentium infinitæ datur in ſubſtantiâ quâdam neceſſaria.

* XLVIII. Subſtantia neceſſaria eſt Ens à ſe.

XLIX. Subſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia Univerſalis.

L. Subſtantia neceſſaria eſt ſubſtantia infinita.

LI. Subſtantia neceſſaria eſt Ens immutabile.

LII. Substantia necessaria est Ens independens.
* LIII. Mundus est Machina corporea.
LIV. Substantia necessaria est substantia suprema & unica.
LV. Substantia necessaria est Ens absolutè perfectum.
LVI. Substantia necessaria est Ens simplex.
LVII. Substantia necessaria est Monas Originaria.
LVIII. DEUS est substantia.
* LIX. DEUS est substantia necessaria.
LX. In DEO datur Potentia infinita.
LXI. In DEO datur Intellectus infinitus.
* LXII. Intellectus DEI est principium essentiarum simul & existentiarum.
LXIII. In DEO datur Sapientia absolutè perfecta.
LXIV. Motiva fortiora DEI non sunt nisi perfectiones plures majoresve.
* LXV. In DEO datur Voluntas absolutè perfecta.
LXVI. In DEO datur Bonitas absolutè perfecta.
LXVII. In DEO datur Justitia absolutè perfecta.
LXVIII. Substantiæ finitæ perfectiones suas habent ab influxu DEI.
LXIX. Substantiæ finitæ imperfectiones suas habent ab essentiâ suâ sive propria naturâ.
LXX. Possibilitas DEI est principium existentiæ DEI.
LXXI. Essentia & Attributa DEI sunt prima possibilia.
LXXII. Existentia DEI est principium realitatis in possibilitatibus.
* LXXIII. Voluntas DEI non est principium veritatum necessariarum.
* LXXIV. Voluntas DEI est principium existentiæ melioris.
LXXV. Voluntas DEI est principium veritatum contingentium.
LXXVI. Intellectus & Voluntas animarum rationalium, quatenus sunt perfectiones animarum, intellectum & voluntatem DEI repræsentant: quatenus autem illis adhærent imperfectiones, ex essentiâ animæ cujusvis propriâ fluentes, repræsentant propriam illius animæ naturam.
* LXXVII. Actio sive influxus Unius Monadis derivativæ in alteram non nisi idealis est.
LXXVIII. Omnis Monas derivativa est Automaton naturale incorporeum.
LXXIX. Monas derivativa perfectior respectu Monadis derivativæ imperfectioris agit, & Monas derivativa imperfectior respectu Monadis derivativæ perfectioris patitur.
LXXX. Actiones & passiones creaturarum mutuæ sunt.

LXXXI.

LXXXI. Numerus Universorum possibilium in intellectu DEI est infinitus.

LXXXII. Ex universis possibilibus unicum tantùm existere potest.

LXXXIII. Universum existens inter Universa possibilia est Optimum.

* LXXXIV. Essentia Monadis derivativæ est repræsentativa illius Universi, * cum quo in intellectu DEI jam connexa est idealiter.

LXXXV. Quælibet Monas derivativa illud universum, cum quo connexa est, repræsentat alio modo.

LXXXVI. Differentia interna Monadum derivativarum consistit in gradu perfectionis essentialis repræsentandi unum idemque Universum.

LXXXVII. Appetitus est medium naturale in Monadibus derivativis unicum universum infinitis modis diversis repræsentandi.

LXXXVIII. Status præsens Monadis derivativæ naturaliter consequitur ex præcedenti.

LXXXIX. Statum quemlibet præsentem Monadis derivatiæ ingreditur infinitudo exiguarum perceptionum, quæ omnes concurrunt ad determinationem perceptionum infinitarum, statum consequentem absolventium.

XC. Statum quemlibet præsentem corporis ingreditur infinitudo figurarum & motuum.

* XCI. Diversitas repræsentationis unius ejusdemque universi in qualibet Monade derivativâ est principium diversi Monadis derivativæ in Universo Sitûs.

XCII. Universum maximo gaudet ordine.

XCIII. Quælibet perceptio Monadis derivativæ involvit ejusdem consensum cum illo universo, cum quo idealiter in intellectu DEI jam est connexa.

* XCIV. Nulla perceptio sive in unâ eâdemque Monade derivativâ, sive in diversis alteri cuicunque perceptioni per omnia similis est.

* XCV. Harmonia rerum Universalis præstabilita est Medium naturale obtinendi tantùm perfectionis in Universo, quantum possibile est.

* XCVI. Harmonia rerum universalis est principium certitudinis eventuum omnium in Universo quocunque possibili.

* XCVII. Essentia Monadis Originariæ est repræsentativa omnium universorum possibilium, idque omni modo possibili.

* XCVIII. Monas Originaria est sinè Organis.

* XCIX. Non datur vacuum, in rerum Universitate disseminatum.

* C. Communicatio Motûs in pleno procedit ad quamlibet distantiam.

* CI. Omne corpus illud repræsentat universum, in subjecto multiplici, cum quo in intellectu DEI jam idealiter est connexum.

* CII·

** CII. Vis passiva simplex Monadum derivativarum est principium materiæ in corporibus.

* CIII. Vis activa simplex Monadum derivativarum est principium naturæ in corporibus.

CIV. Extensio est phænomenon, sed in principio materiæ fundatum.

CV. Pars quælibet materiæ peculiari motu est prædita.

CVI. Motus in corporibus naturaliter non nisi ex motu oritur.

* CVII. Pars quælibet materiæ actu in infinitum est subdivisa.

CVIII. Pars quælibet materiæ continet mundum creaturarum.

CIX. Corpus organicum viventis est organicum in quâlibet parte minimâ in infinitum.

* CX. Nulla monas derivativa est sine organis.

CXI. Tot dantur Sensûs in animantibus, quot diversæ diversorum fluidorum impressiones in organa diversa possibiles sunt.

* CXII. Monas derivativa repræsentat universum illud, cum quo jam in intellectu DEI est connexa, mediante corpore organico, cujus est Monas dominans.

CXIII. Corpus organicum viventis in perpetuo est fluxu.

* CXIV. Vivens corpus suum non mutat, nisi per gradûs.

CXV. Non dantur in Universo creaturarum generatio & mors totalis.

CXVI. Animal spermaticum non electum nascitur & interit, ut Animal electum.

CXVII. Generatio naturalis infert evolutionem & accretionem organorum in corpore, & statum perceptionum, evolutioni & accretioni organorum in Monade derivativâ respondentem.

CXVIII. Mors naturalis infert involutionem & diminutionem organorum præsentium in corpore, & stuporem temporarium in Monade derivativâ.

* CXIX. Nullum vivum post mortem naturalem existere desinit.

CXX. Creatio & Annihilatio sunt miracula.

CXXI. Harmonia rerum universalis præstabilita est principium harmoniæ animæ & corporis humani præstabilitæ.

CXXII. Duo regna naturalia causarum efficientium & causarum finalium inter se sunt harmonica.

CXXIII. Lex naturæ, quâ eadem virium motricium quantitas & eadem directio totalis in Universo corporeo conservantur, est principium harmoniæ inter duo regna naturalia.

CXXIV. Animæ rationales ante conceptionem tantùm sunt animæ sensitivæ.

* CXXV Animæ rationales ſunt ſimul ſpecula univerſi creaturarum & ſimulacra ipſius Divinitatis.

CXXVI. DEUS reſpectu univerſi creaturarum in genere eſt inventor ſive Architectus ſapientiſſimus & potentiſſimus.

CXXVII. DEUS reſpectu animarum rationalium in ſpecie ſimul eſt Monarcha Optimus.

CXXVIII. DEUS eſt Monarcha perfectiſſimus.

CXXIX. Civitas DEI eſt Monarchia Univerſalis.

CXXX. Civitas DEI eſt Monarchia perfectiſſima.

* CXXXI. Miſeria propriè ſic dicta in Civitate DEI nulla eſt.

CXXXII. Gloria DEI involvit Spirituum finitorum exiſtentiam.

CXXXIII. Datur Harmonia perpetua inter Regnum naturæ & inter Regnum gratiæ.

CXXXIV. Pœnæ per ordinem naturæ actiones malas & remunerationes per eundem actiones bonas conſequuntur.

CXXXV. Pœnæ naturales & remunerationes naturales non neceſſariò extemplo conſequuntur actiones creaturarum rationalium malas & bonas.

CXXXVI. Ordo naturæ Vota ſapientiſſimi ſuperat.

* CXXXVII. Status calamitatis tranſiens, reſpectu innocentis, non eſt miſeria propriè ſic dicta.

CXXXVIII. In Civitate DEI omnia vergunt in ſalutem bonorum Civium.

CXXXIX. Civis bonus in Civitate DEI regimine Monarchæ ſui contentus eſt.

CXL. Civis bonus in civitate DEI confidit in divina providentiâ.

CXLI. Civis bonus in Civitate DEI amat Monarcham ſuum perfectiſſimum.

CXLII. Beatitudo maxima poſſibilis Spirituum finitorum conſiſtit in Amore puro Auctoris ſui.

* CXLIII. Civis bonus in Civitate DEI acquieſcit in Voluntate conſequente Monarchæ ſui.

CXLIV. Civis bonus in Civitate DEI ſeriò intendit Gloriam DEI.

INDEX

INDEX AUCTORUM,

in his Demonſtrationibus citatorum, additis eorum editionibus.

ACTa Eruditorum Anno cIↃ IↃCCXVII. publicata Lipſiæ *in 4.* Elogium G. G. LEIBNITII Menſe Julio p. 322-- 336.

Actorum Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, Supplementa. Tom. VII. Lipſiæ 1721. *in 4.* Sect. IX. p. 423. ſeq.

Ariſtotelis Opera omnia græcè & latinè per Guillelmum du Val Pariſiis 1654. 4. Voll. in fol.

Auguſtini *Aurelii* Opera omnia Baſileæ apud Froben. 1569. 10. Voll. *in fol.*

Bayle *Petri* Dictionaire hiſtorique & critique à Rotterdam 1702. edit. 2da 3. Voll. *in fol.*

Abregè de la Philoſophie de Gaſſendi en VII. Tomes par F. Bernier Docteur en Medicine de la facultè de Montpellier. edit. ſec. Lugduni Gall. 1684. in 12. maj.

Boëthii *Anilii Manlii Severini* Opera omnia Baſileæ ex officina Henric-Petrinâ 1570. *in fol.*

Bohn *Joannis*, Diſſertationes Chymico-phyſicæ cum tractatu de aëris in ſublunaria influxu. Lipſiæ 1685. *in 4.*

Bülffingeri *Georg. Bernhard.* Commentatio hypothetica de Harmoniâ corporis & animi humani quàm maximè præſtabilita Francofurti ad Mœnum 1723. *in 8vo.*

— de origine & permiſſione mali præcipuè moralis Commentatio philoſophica Francofurti & Lipſiæ 1724. *in 8vo.*

— Dilucidationes Philoſophicæ de DEO, animâ humanâ, Mundo & generalibus rerum affectionibus. Tubingæ 1725. *in 4to.*

— Specimen doctrinæ veterum Sinarum moralis & politicæ; tanquam exemplum Philoſophiæ gentium ad Remp. applicatæ; cum diſſertatione extemporali de litteraturâ Sinenſi, Francofurti ad Mœnum 1724. *in 8vo.*

Bungi *Petri* Numerorum myſteria ex abditis plurimarum diſciplinarum fontibus hauſta: opus maximarum rerum doctrinâ & copiâ refertum. In quo mirus inprimis idemque perpetuus Arithmeticæ Pythagoricæ cum divinæ paginæ numeris conſenſus multiplici ratione probatur. Poſtremà

thecæ græcæ Liber V. de ſcriptoribus græcis chriſtianis aliisque, qui vixêre à Conſtantini M. ætate ad captam A. C. MCCCCLIII. à Turcis Conſtantinopolin Hamb. 1712. *in 4.*

Fontenelle Hiſtoire du renouvellement de l' Academie Royale Tom. II. *in 8. Pariſiis* 1717. *in 12.* de Vitâ Leibnitii.

de la Forge *Ludovici* Tractatus de mente humanâ, ejus facultatibus & functionibus : nec non de ejusdem Unione cum corpore, ſecundùm principia *Renati* des Cartes Amſtelodami 1669. *in 4to.*

Hanſchii *Michael Gottlieb* Diatriba de Enthuſiaſmo Platonico, in quâ ſublimia Platonicorum de ultimo animæ humanæ in divinam eſſentiam reditu philoſophemata methodo facili atque evidenti ex ſuis principiis deducuntur, in originem & progreſſum eorundem inquiritur, media quoque obtinendi redunitionem illam mentis noſtræ cum DEO exponuntur, ſingula optimorum Auctorum fide uberius confirmantur atque illuſtrantur, omnia denique ad rectæ rationis normam exiguntur ; cum Epiſtola G. G. Leibnitii ad Auctorem hoc de argumento ſcripta. Lipſiæ 1716. *in 4.*

Hippocratis & Galeni Opera, *græcè & latinè* per *Renatum* Charterium Lutetiæ Pariſiorum 1679. *Tomi XIII. in fol.*

Jamblichus de Vitâ Pythagoræ *græcè & latinè* per *Ulricum* Obrechtum cum notis *Ludolphi* Kuſteri : Malchus ſive Porphyrius de Vitâ Pythagoræ cum notis *Lucæ* Holſtenii & *Cunradi* Rittershuſii Anonymus apud Photium de Vitâ Pythagoræ Amſtelodami 1707. *in 4to.*

Journal des Sçavans pour l'année 1695. Tom. XXIII. Amſtelodami 1696. *in 12mo.* pour l' année 1697. Tom. XXV. à Amſterdam 1698. *in 12mo.*

Jungii *Joachimi* Principia artis textoriæ inedita.

Ejusdem Opiniones phyſicæ cum Iſagoge phytoſcopicâ Hamburgi 1679. *in 4to.*

Kabbala denudata, ſeu doctrina Hebræorum tranſcendentalis & metaphyſica atque theologica Tomus I. cum Præfatione Editoris C. Knorr à Roſenroth de applicatione dogmatum Cabbaliſticorum ad ſcripta N. T. Sulzbaci 1677. & 1678. *in 4to.* Tomus II. cum adjectâ Adumbratione *Cabbalæ Chriſtianæ* ad captum Judæorum, Francofurti ad Mœnum 1684. *in 4to.*

de Launoy *Joannis* Liber de variâ Ariſtotelis fortunâ in Academiâ Pariſienſi ad *Henricum Ludovicum Hubertum* Monmorium Libellorum ſupplicum Magiſtrum *edit. ſecunda* Hagæ-Com. 1656. *in 4to.*

Leibnitii *Godefridi Guilielmi* Hypotheſis nova phyſica, quâ phænomenorum naturæ plerorumque cauſæ ab unico quodam Univerſali motu, in

Sengver.

Sengverdii *Wolferdi* Inquisitiones experimentales Lugduni Bat. 1690. *in 4to.*

Sixti *Senensis* Bibliotheca Sancta Lugduni 1593. *in fol.*

Spinoza v. sup. Cartes.

Synesii Opera cum Scholiis Nicephori, *græcè & latinè* per *Dionysium* Petavium 1612. *in fol.*

Thümmigii *Lud. Philippi* experimentum singulare, de arboribus, ex folio educatis, ad rationes physicas revocatum, Halæ Magdeburg. 1721. *in 4to.*

à Tschirnhausen *Ehrenfried. Walther.* Medicina mentis, sive Artis inveniendi præcepta generalia Lipsiæ 1695. *in 4to.*

Varini *Phavorini* Lexicon græcum per *Joachimum* Camerarium Basileæ 1538. *in fol.*

Volaterrani *Raphaëlis* Commentariorum urbanorum Libri octo & triginta, tribus Tomis distincti, quorum primus Geographiam, secundus Anthropologiam, tertius Philologiam continet apud *Claudium* Marnium & hæredes *Jo.* Aubrii 1603. *in fol.*

Vossii *Gerardi Joannis* de Theologiâ gentili & Physiologiâ Christianâ sivè de Origine & Progressu Idololatriæ deque naturæ mirandis, quibus homo adducitur ad DEUM Libri IX. Amstelodami 1700. *in folio.*

Wolfii *Christiani* Elementa Aërometriæ Lipsiæ 1709. *in 12mo.*

Ejusdem Ratio Prælectionum Halæ Magd. 1718. *in 8vo.*

Ejusdem Cogitationes rationales de DEO, mundo, & Animâ rationali, *germanicè, editio tertia* Halæ Magdeb. 1725. *in 8vo.*

Ejusdem Annotationes Metaphysicæ *germanicè* Francofurti ad Mœnum 1724. *in 8vo.*

Ejusdem Cogitationes rationales de causis phœnomenorum naturæ, *editio secunda* Halæ Magd. 1725. *in 8vo.*



INDEX RERUM ET VERBORUM
quam maximè memorabilium.

(P. Principia Leibnitii, ex Actis Eruditorum Lipsiensibus his demonstrationibus præmissa, D. definitiones, A. Axiomata, T. ipsa in demonstrationibus theoremata designat.)

A.

Civis

D.

F.

Falsum

Jambli-

I.

Influxus

K.

L.

M.

Miseria

N.

 Neces-

O.

P.

Philoso-

Princi-

Q.

R.

 Ratio-

S.

Seng-

Tſchirn-

W.

FINIS.

THEOREMATA METAPHYSICA
EX
PHILOSOPHIA LEIBNITIANA
Selecta:
DE
PROPRIETATIBUS QUIBUSDAM
ENTIS INFINITI ET FINITI MUNDIQUE
EXISTENTIS PERFECTIONE;
METHODO GEOMETRICA DEMONSTRATA:

PERILLUSTRI, GENEROSO ET AMPLISSIMO
DOMINO,
DOMINO
SAMUELI KOELESERIO
A KERES-EER,
CÆSAREO-REGIO IN GUBERNIO PRINCIPATUS TRANSILVANIÆ CONSILIARIO ATQUE SECRETARIO, VIRO DE RE ET PUBLICA ET LITERARIA PRÆCLARE MERITO MERENTIQUE
DICATA AB AUCTORE
MICHAELE GOTTLIEB HANSCHIO,
SACR. CÆS. ET CATHOL. MAJEST.
CONSILIARIO.

Accedit
EJUSDEM AUCTORIS MEDITATIO PHILOSOPHICA
DE UNIONE MENTIS ET CORPORIS SECUNDUM PRINCIPIA LEIBNITIANA,
DENUO EDITA
ANNO CIↃ IↃ CC XXVIII.

Perilluſtris, Generoſe & Ampliſſime Vir!

NEc nudius demum tertius, nec inconſulto literaria noſtra coaluit amicitia; plures enim jam effluxerunt anni, ex quo, cognitis perſpectisque ſingularibus ingenii TUI dotibus, TUAM, Perilluſtris Domine, ambire amicitiam cœpi, & ab illo tempore tam felici mihi eſſe contigit, ut non interrupto TUO literarum frui potuerim commercio. Quamobrem æquum eſſe duxi, ut publico etiam aliquo declararem documento, quo loco TUAM, Fautor honoratiſſime, habeam conſuetudinem. Exequor id ipſum, diu jam mente conceptum, levidenſi hac meditationum, quas exhibeo, philoſophicarum inſcriptione, Per-Illuſtri TUO celeberrimoque apud exteros Nomini factâ: ut ſcilicet ex illo lucem, quam ab Auctore habent nullam, iisdem fœnerer ampliſſimam. Sunt in illis ſelecta quædam ex Leibnitiana præcipue philoſophia Theoremata, geometricè à me demonſtrata. Veritates igitur nec à me

inventæ ſunt, nec ſoli Leibnitio inventori debentur: compendium tamen demonſtrationis meum eſt. Sed & veritates Theologiæ naturalis & demonſtrationes earundem, illuſtri ſe brevitate commendantes, amare TE, aliunde novi: utut adhuc dentur inter Eruditos plurimi, qui ad exorientem pleniorem earum lucem, noſtris temporibus divino conſilio reſervatam, cœcutire, quam apertis eam oculis admittere malint. Interea *patet omnibus veritas*, ut ROMANI SAPIENTIS (*) verba mea faciam, *à mortalium nullo penitus eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt.* Quod ſupereſt DEUM T.O.M. veneror, ut TE, Per-Illuſtris Domine, longum ſervet, & quod jam à plurimis annis literarum colimus commercium, fortunatum porro eſſe jubeat atque diuturnum! IDEM, ſi id conſonum eſt connexioni locorum atque temporum perfectiſſimæ, faxit, ut de argumentis philoſophicis, longe graviſſimis, quibus dijudicandis parem TE eſſe novi, coram aliquando conferre poſſimus! Vale, VIR Per-Illuſtris & Ampliſſime, mihique, quod facis, fave

(*) *SENECA Epiſt. XXXIII. Oper p. 445.* ed. quartæ & ab ultima *Lipſii* manu, Antwerpiæ 1652. in fol. p. 445.

Vir Perilluſtris, Gener. & Ampl.

Francofurti ad Mœnum
a. d. XXVII. Maji
cIↃ IↃ cc xxv.

obſequiis TUIS devotiſſimo
M. G. Hanſchio.

Ad Candidum Lectorem.

QUæ hic vides, Lector Benevole, Theoremata Metaphysica, ex Philosophia potissimum Leibnitiana selecta & more geometrico à me demonstrata, Prodromus sunt Principiorum Philosophiæ hujus Philosophi (prout in Actis Eruditorum Lipsiensibus Tomo Supplementorum Septimo extant) eadem methodo à me demonstratorum; quæ Te exspectare, proximè jubeo, cum Excerptis ex Epistolis Philosophi, de rebus maximè metaphysicis ad me quondam datis, nec non Scholiis quibusdam ex Historia Philosophica, si laborem hunc tibi non ingratum fuisse intellexero. Vale!

Francofurti ad Mœnum
d. xx. Nov.
cIↃ IↃ cc xxv.



I. N. I.

MICHAELIS GOTTLIEB HANSCHII
THEOREMATA METAPHYSICA
Ex Philoſophia Leibnitiana ſelecta:
DE PROPRIETATIBUS QUIBUSDAM ENTIS INFINITI ET FINITI MUNDIQUE EXISTENTIS PERFECTIONE;
Methodo Geometrica demonſtrata.

I. DEFINITIONES.

Realitas. DEF. I. Realitas dicitur id omne, quod aliquid ponit, adeoque ad aliam realitatem ſe habet, ut poſitivum ad poſitivum.

Perfectio. II. Perfectio eſt conſenſus realitatum, quæ in uno aliquo Ente à ſe invicem diſcerni poſſunt.

Imperfectio. III. Imperfectio eſt diſſenſus realitatum, quæ in uno Ente à ſe invicem diſcerni poſſunt.

Perf. & Imperf. Summa. IV. Utraque ſumma dicitur, ſi conſenſus vel diſſenſus ille ſit maximus poſſibilis.

Conſenſus. V. Conſenſus eſt tendentia realitatum in uno Ente inter ſe connexarum, ad eundem finem Entis generalem.

Corol. Eſt itaque inter finem aliquem generalem plurium in uno Ente & inter tendentiam plurium in uno ad eundem finem, adeoque inter poſitivum & poſitivum.

Diſſenſus. VI. Diſſenſus eſt non-tendentia realitatum in uno Ente inter ſe connexarum ad eundem finem entis generalem.

Corol.

Corol. Eſt igitur inter finem aliquem generalem plurium in uno & inter non-tendentiam plurium, in uno connexorum ad eundem finem, adeoque inter poſitivum & negativum.

VII. Si in toto quodam compoſito diſſenſus realitatum in partibus faciat ad majorem in toto conſenſum obtinendum, imperfectio partium abſoluta abſolvit perfectionem totius reſpectivam. e. g. in oculo humano diſſentiunt duæ realitates ſimplices oculi, in ſe ſpectati, nimirum cernere æque diſtinctè remotiſſima & proxima ſimul, cum fine oculi generali, qui eſt cernere æque diſtinctè omnia; quia per principia dioptrica in oculo humano utraque perfectio obtineri ſimul nequit, adeoque oculus humanus, non eſt capax omnium perfectionum oculi in ſe ſpectati. Sed hic diſſenſus harum realitatum cum eodem fine generali oculi facit ad majorem conſenſum, cum fine generali totius corporis humani obtinendum, ſi ita attemperetur in oculo humano, ut remotiſſima & minima lateant, & ut lumen debilius ſufficiat ad cernenda mediocriter remota & parva, quatenus hæc afficiendo corpori humano ſunt proportionata & plus illi conſenſus cum fine eodem præſtant, atque ita fit, ut utraque imperfectio oculi humani abſoluta, ſcil. non cernere remotiſſima, non cernere minutiſſima dicatur totius corporis humani perfectio reſpectiva, quatenus utraque conſentit cum eodem fine, qui eſt evitatio noxiorum corpori, qualia tantum ſunt mediocriter remota & parva. *Perfectio reſpectiva.*

VIII. Ens, in quo omnes ſimul realitates inter ſe ſunt connexæ, dicitur *Ens abſolute perfectiſſimum:* & Ens, in quo non omnes realitates ſimul inter ſe ſunt connexæ, dicitur *Ens imperfectum.* *Ens abſol. perfectiſſ.* *Ens imperf.*

Schol. Ens abſolute perfectiſſimum omnes Gentes in Linguis ſui DEI nomine intelligunt.

IX. *Ens perfectiſſimum in ſuo genere*, dicitur Ens, in quo omnes realitates ſimplices, quæ eidem, in ſe ſpectato, per *Ens perfectiſſ. in ſuo gen.*

per naturam suam separatim conveniunt, si inter se conjunctæ pugnent, ita sunt sibi invicem attemperatæ, ut omnia in eodem Ente, eidem fini generali obtinendo inserviant atque ita in toto consensus maximus possibilis servetur per defin. IV. V.

Limit. sive Finitud. X. *Limitatio* sive *Finitudo* est negatio aut privatio vel realitatis vel ulterioris saltem ejusdem in aliquo Ente tendentiæ.

Ens infinitum. XI. Ens in quo nullæ prorsus adsunt realitatum negationes sive simplices sive privativæ fuerint dicitur ab illa Infinitudine *Ens infinitum.*

Ens Finitum. XII. Id in quo adsunt realitatum negationes, vel simplices vel privativæ, ab illa *Finitudine* dicitur Ens *Finitum.*

Bonum. XIII. *Bonum* dicitur, quod rem, cui confertur, reddit perfectiorem.

Malum. XIV. *Malum* in genere dicitur id, quod rem reddit imperfectiorem.

Causa efficiens. XV. *Causa efficiens* est id quod alteri realitatem confert.

Causa deficiens. XVI. *Causa deficiens* est id, quod alteri realitatem vel nullam, vel non sufficientem vel non omnem confert.

Nihilum. XVII. Id quod non existit *Nihil* dicitur: cui si e statu nihileitatis educendo potentia quædam sufficiat dicitur *Possibile;* si nulla sufficiat dicitur *Impossibile.*

Schol. I. Cum id, quod è statu nihileitatis educi non potest, actu etiam ex eodem nunquam educatur: intelligitur, quo sensu ex nihilo aliquid fieri non possit. Sed cum aliquid ex illis, quæ è statu nihileitatis educi possunt, actu ex illo educitur, intelligitur, aliquid, quod existere potest, incipere posse existere cùm anteà non existeret, h. e. *posse nihilum aliquod possibile incipere esse Ens actuale.*

Schol. II. Assumpsi *Ens* & *existentiam* in demonstrandis proprietatibus Entis infiniti & finiti pro iisdem & exinde demonstravi Theor. XVIII. & XXV. *Omne Ens finitum & mundum quemcunque possibilem in se ipso & ex se ipso nihil esse:* ex stylo Scripturæ S. quæ crea-

creaturas, etiam contingenter jam exiſtentes, multoque magis in ſtatu puræ poſſibilitatis ſpectatas, in ordine ad Ens, abſolutè neceſſariò exiſtens *Nihil* vocat. Et in vulgaribus pariter Metaphyſicæ Scholaſticorum libellis *Ens in potentiâ* homonymicè Ens vocatur & *Exiſtentia* æquipollet *Enti*, nec ab *Eſſentiâ* niſi ſolâ rationê differt. *Samuel Schelguigius* in *Ideâ* Metaphyſicæ §. XII. & XXXVI. p. 4. & 17. Wittebergæ 1670. in 12mo editâ.

XVIII. Id, cujus Exiſtentiæ exhibendæ quædam potentia ſufficit, etſi exiſtentia nunquam exhibeatur, nullam in ſe involvit contradictionem, atque hinc dicitur: *Poſſibile abſolutè.* *Poſſibile abſolutè.*

Schol. Cum obſervo alicujus exiſtentiæ exhibendæ potentiam quandam ſufficere; ſcio ejus poſſibilitatem *à poſteriori;* quod non involvat contradictionem: cum autem intelligo, aliquid non involvere contradictionem; ſcio ejus poſſibilitatem *à priori,* cur ejus exiſtentiæ exhibendæ quædam potentia ſufficiat.

XIX. Id cujus Exiſtentiæ exhibendæ, nulla ſimpliciter potentia ſufficit, involvit in ſe contradictionem, atque hinc dicitur *Impoſſibile abſolutè.* *Impoſſibile abſolutè.*

Corol. Impoſſibile abſolutè eſt abſolutè imperfectiſſimum.

XX. *Neceſſarium abſolutè* dicitur, cujus oppoſitum in ſe involvit contradictionem, vel, cujus oppoſitum ita eſt comparatum, ut ejus exiſtentiæ exhibendæ nulla potentia ſufficiat. *Neceſſar. abſolutè.*

Corol. *Neceſſarium abſolutè in exiſtendo* eſt, cujus non-exiſtentiæ exhibendæ nulla potentia ſufficit.

XXI. *Contingens abſolutè* dicitur, cujus oppoſitum, in ſe ſpectatum nullam involvit contradictionem, vel cujus oppoſitum ita eſt comparatum, ut ejus exiſtentiæ exhibendæ quædam potentia ſufficiat. *Contingens abſolutè.*

XXII. *Neceſſarium moraliter* dicitur, cujus oppoſitum, in ſe ſpectatum nullam involvit contradictionem; quidem, ſed quod, vel in ſe ſpectatum, vel cum aliis collatum, minus conveniens eſt perfectionibus propriis Entis abſolutè perfectiſſimi. *Neceſſarium moraliter.*

XXIII.

Mundus. XXIII. *Mundus, individualiter & in universo suo ambitu spectatus*, dicitur collectio universalis omnium locorum & omnium temporum.

Corol. Duo Mundi possibiles simul existere non possunt, quia existerent in diversis spatiis, quod evertit hypothesin.

Locus. XXIV. *Locus* est connexio plurium coëxistentium, secundùm unam eandemque Normam.

Tempus. XXV. *Tempus* est connexio plurium incompatibilium, sive mutuo sibi succedentium, secundum communem aliquam Normam.

Systema. XXVI. Connexio plurium, secundùm communem aliquam Normam, sive legem, in genere dicitur *Systema.*

Plura inter se connexa. XXVII. *Plura inter se connexa* sunt, quorum unum determinat alterum.

Determinare. XXVIII. *Determinare*, est restringere id, quod in idea alicujus rei indifferens est, ad aliquid specialius. Quod si restrictionis hujus in Uno ratio reddi possit, ex restrictione, *Determinatio mutua.* quæ in altero deprehenditur, *unum* dicitur *determinare alterum*, sive, *determinatio* dicitur esse *mutua.*

Mundus in suo genere perfectissimus. XXIX. *Mundus in suo genere perfectissimus* dicitur, talis collectio omnium Locorum & omnium Temporum, quæ collata cum omnibus aliis collectionibus Locorum atque Temporum omnium, absolutè possibilibus, plurimum consensûs, sive consensum maximum possibilem finium & mediorum continet, & minimum dissensûs sive dissensum minimum possibilem, in universo suo ambitu spectata, & facta totali finium & mediorum æstimatione admixtum habet, *per defin. IX.*

XXX. Intellectus dicitur connexio possibilium inter se; quæ, si repræsentet omnia possibilia simul inter se connexa, *Intellectus absolutè perfectissimus.* distinctè & adæquatè, dicitur *Intellectus absolutè perfectissimus.*

Corol. I. Sine intellectu absolutè perfectissimo nihil est possibile.

Corol.

Corol. II. Cum Entia eorumque attributa cogitamus, ab exiſtentia eorum abſtrahimus, h. e. illa, non ut Entia; ſed ut purè poſſibilia conſideramus, & propriè loquendo non entia, ſed eorum, quæ non exiſtunt, exiſtere tamen poſſunt, exemplaria in intellectu abſolutè perfectiſſimo rationem ſufficientem agnoſcentia, nobis præſentia ſiſtimus: per def. XVII. & XXX.

XXXI. *Voluntas* dicitur facultas inter plura poſſibilia, ob rationem ab intellectu exhibitam, eligendi unum præ altero; quæ *abſolutè perfectiſſima* eſt, ſi inter plura poſſibilia inæqualiter perfecta, infallibiliter eligat perfectiſſimum: quo ipſo ſervatur conſenſus maximus poſſibilis inter rem volitam & ipſam volitionem *per Def. IV.*

Volunntas abſolutè perfectiſſima.

XXXII. *Libertas* dicitur facultas voluntatis, ſeipſam ad electionem illius è pluribus eligibilibus, quod hoc caſu, hoc tempore atque his circumſtantiis quam maxime approbat, determinandi: quæ *abſolutè perfectiſſima* eſt, ſi voluntas ſeipſam infallibiliter ſemper ad electionem illius determinet, quod, cum omnibus ſuis circumſtantiis conſideratúm, perfectiſſimum eſſe intellectus abſolute perfectiſſimus voluntati abſolutæ perfectiſſimæ infallibiliter repræſentat.

Libertas abſolutè perfectiſſima.

XXXIII. *Sapientia* dicitur aptitudo connectendi media & fines: quæ ſi conſenſus maximus poſſibilis inter media & fines ſervetur, *abſolutè perfectiſſima* eſt *per Def. IV.* Servatur autem, ſi media eligantur talia, ut iiſdem fines omnes, ſimul poſſibiles, pleniſſimè & via breviſſima obtineantur.

Sapientia abſolutè perfectiſſima.

XXXIV. *Potentia abſolutè perfectiſſima* eſt, quæ ſufficit exhibendæ exiſtentiæ omnium poſſibilium.

Potentia abſolutè perfectiſſima.

Corol. Sine potentia, abſolutè perfectiſſima, nil exiſtit.

XXXV. *Bonitas* dicitur promptitudo voluntatis, aliis conferendi realitates: quæ *abſolutè perfectiſſima* dicitur; ſi promptitudo hæc ſit intenſiſſima, & ſe extendat ad omnia Entia, quot concipi poſſunt, & ad realitates omnes, quot recipere poſſunt, & quot ex abſolutè poſſibilibus, lex ſapientiæ, abſolutè perfectiſſimæ, potentiæ abſolutè per-

Bonitas abſolutè perfectiſſima.

fectiſſimæ producere permittit ; ita enim adeſt conſenſus maximus poſſibilis inter conferentem , rem collatam , & ſubjectum cui confertur *per Def. IV.*

Lex ſapientiæ. XXXVI. *Lex ſapientiæ* dicitur illa agendi ratio, qua perfectiones ſunt motiva actionum tanto fortiora , quò ſunt vel plures vel majores.

Juſtitia abſolute perfectiſſima. XXXVII. *Juſtitia abſolutè perfectiſſima* eſt exercitium bonitatis abſolutè perfectiſſimæ , ſecundum legem ſapientiæ abſolutè perfectiſſimæ inſtitutum.

Miraculum. XXXVIII. *Miraculum* dicitur id , cujus ratio plane non continetur in determinationibus mutuis cauſarum quarumcunque poſſibilium finitarum e. g. Creatio univerſi, Incarnatio Filii DEI.

Corol. Quæ igitur per Miniſterium Angelorum in mundo exiſtente explicari poſſunt , hoc ſenſu ad Miracula , propriiſſimè ſic dicta , non pertinent.

II. THEOREMATA.

TEOREMA I.

Omnis realitas, ut talis, eſt perfectio.

Demonſtratio.

Omnis realitas, quatenus eſt realitas, ſe habet ad aliam quamcunque realitatem ut poſitivum ad poſitivum ; (a) & quæ ſe ita ad ſe invicem habent, inter ſe conſentiunt. (b) Sed in conſenſu realitatum plurium , quæ in Ente aliquo à ſe invicem diſcerni poſſunt , conſiſtit ejusdem perfectio (c) & conſequenter omnis realitas, ut talis, eſt perfectio. Q. E. D.

(a) *Per definit. real. 1.*
(b) *Per corol. definit. conſenſus 5.*
(c) *Per definit. perfectionis 2.*

THEO-

THEOREMA II.

Omnis realitas, ut talis, est bonum.

Demonstratio.

CUm bonum dicatur id omne, quod rem, cui confertur, reddit perfectiorem; (d) & realitates omnes, ut tales, id præstent rei, cui tribuuntur? (e) omnis realitas, ut talis, bonum est. Q. E. D.

(d) *per Def. boni 13.* (e) *Per theorema I.*

Corol. I. Malum igitur quodcunque, ut tale est, non in realitate, sed in ejusdem negatione, vel simplici vel privativâ, consistit.

Scholion. Notanter dico: *Malum, ut tale;* dantur enim *habitûs privationum*, quorum consequentiæ sunt maximè sensibiles. Sed in sensu privatio non consistit, licet privationem consequatur, nec habitus, cui privatio etiam inseparabiliter adhæret, ad illam, ut talem, pertinet. Si quis tamen privationem moralem, cum habitu adhærente conjunctam, *positivum*, non in genere Entium sed *in genere morum* appellare voluerit, nos non habebit dissentientes: præsertim cum ipsa Scriptura S. nativam humanæ naturæ corruptionem eodem sensu, terminis positivis describat. conf. Rom. cap. VII. com. 20. 23. 24.

Corol. II. Hinc malum, ut tale, non requirit causam efficientem, sed deficientem. (f)

(f) *Per Def. causæ effic. 15 & causæ defic. 16.*

THEOREMA III.

Ens absolute perfectissimum est possibile.

Demonstratio.

OMnes realitates, ut tales, inter se consentiunt: (g) quæ inter se consentiunt, illorum prædicata essentialia sibi non contradicunt, & illa quæ sibi non contradicunt sunt possibilia. (h) Realitates igitur omnes simul in uno Ente inter se connexæ, sunt possibiles. Sed illud Ens, in quo omnes simul realitates inter se sunt connexæ, dicitur Ens absolutè

(g) *Per Theor. I.* (h) *Per Def. possib. absol. 18.*

(i) *Per Def. Entis absol. perfect. 8.* perfectissimum (i) Ergo Ens absolutè perfectissimum est possibile. Q. E. D.

THEOREMA IV.

Quoddam possibile est Ens imperfectum.

Demonstratio.

CUm Ens quoddam, cui aseitas, omnipotentia, aliæque perfectiones desunt, & consequenter in quo non omnes realitates inter se connexæ sunt, actu existere, quemlibet conscientia existentiæ propriæ mentis convincat: quoddam Ens existens est Ens imperfectum. (k) Sed omne quod existit illud potest existere, & proinde nullam involvit contradictionem, adeoque possibile est. (*) Ergo quoddam possibile est Ens imperfectum. Q. E. D.

(k) *Per Def. Ent imperf. 8.*
(*) *Per Def. possibil. 18.*

Corol. I. Si quoddam possibile est Ens absolutè perfectissimum (l) & quoddam possibile etiam est Ens imperfectum (m) omne Ens imperfectum erit possibile; sed non reciprocè, omne possibile erit Ens imperfectum.

(l) *Per Theorem. 3.*
(m) *Per Theor. 4.*

Corol. II. Si omne Ens imperfectum est possibile (n) & quoddam possibile non existit (o) neque enim omnia quæ nullam in se involvunt contradictionem, in hoc mundo, qui existit, actu existunt: quoddam etiam Ens imperfectum non existit.

(n) *Per Cor. I. Theor. 4.*
(o) *Per experient.*

Corol. III. Cum nulla species separationis realitatum in se involvat contradictionem, nullum Ens imperfectum est unicum, sui generis possibile.

Corol. IV. Erit igitur Ens absolutè perfectissimum unicum sui generis possibile.

THEO-

THEOREMA V.

Ens in unica sua realitate illimitatum in omnibus est infinitum.

Demonstratio.

SI negas: erit ad minimum in unica etiam realitate finitum. Jam itaque admittit negationem (p) adeoque limitationem, (q) cum autem realitates, inter se connexæ, sint unum Ens, illud, si in una realitate illimitatum, in alia limitatum esset, unum idemque simul illimitatum & limitatum foret: quod cum implicet contradictionem, adeoque sit impossibile: (r) Ens in una realitate limitatum in omnibus erit limitatum, quod hypothesin evertit. Quare Ens, in unica realitate illimitatum, in omnibus erit illimitatum, & proinde nullas prorsus in aliqua realitate admittit negationes; (s) sed tale Ens in omnibus est infinitum. (t) Ergo Ens in unica sua realitate illimitatum, in omnibus est infinitum. Q. E. D.

(p) *Per Def. Ent. finit. 12.*
(q) *Per Def. limitat. 10.*
(r) *Per Def. impossibil. 19.*
(s) *Per Def. limitat. 10.*
(t) *Per Def. Ent. inf. 11.*

THOREMA VI.

Ens in unica sua realitate limitatum in omnibus est finitum.

Demonstratio.

ESt enim in omnibus limitatum, (u) & consequenter in omnibus realitatibus suis admittit negationes. (w) Sed tale Ens in omnibus est finitum. (x) Ergo Ens in unica sua realitate limitatum in omnibus est finitum Q. E. D.

Corol. I. Ens igitur limitatum v. g. in cognoscendo, est etiam in existendo finitum, adeoque eidem non repugnat non existentia, (y) & proinde contingenter existit. (z)

Corol. II. Ens contingenter existens, non agnoscit rationem existentiæ suæ in seipso; agnosceret enim *simpliciter*, non *limitate*, *absolutè* non per gradus definitos, adeoque infini-

(u) *Per Theorem. 5.*
(w) *Per Definit. lim. 10.*
(x) *Per Def. Entis fin. 12.*
(y) *Per Def. Entis fin. 12.*
(z) *Per def. conting. 22.*

infinitam possideret Existentiam, *contra hypot.* Ergo Ens contingenter existens, rationem Existentiæ suæ agnoscit in alio Ente existente.

Corol. III. In assignanda igitur sufficiente ratione existentiæ Entis, contingenter existentis, saltus tandem faciendus est ad Ens, in existendo infinitum & absolute necessarium, adeoque extra seriem contingentium (utut infinita supponatur) constitutum.

THEOREMA VII.

Ens absolutè perfectissimum in omnibus est infinitum.

Demonstratio.

CUm in Ente, quod realitates omnes inter se connexas habet, non assignari possit vel realitas, vel ejusdem saltem gradus aliquis absens: in Ente perfectissimo absolutè nullæ dantur realitatum earumve graduum negationes vel privationes; (a) sed Ens in quo nullæ dantur realitatum earumve graduum negationes vel privationes, in omnibus est infinitum. (b) Ergo Ens absolutè perfectissimum in omnibus est infinitum. Q. E. D.

(a) *Per Def. Ent. abs. perf. 8.*
(b) *Per Def. Ent. inf. 11.*

Corol. I. Est igitur etiam in existendo infinitum & consequenter negatio existentiæ in illud non cadit. (c)

(c) *Per Def. Ent. inf. 11.*

Corol. II. Ergo Ens absolutè perfectissimum absolutè necessario existit, ut ejusdem non-existentia simpliciter contradictionem involvat (d)

(d) *Per Cor. def. absol. necess. 20.*

Scholion. Atque ita invictè demonstrata est DEI EXISTENTIA; (e) demonstrata in antecessum (f) assumptæ hypotheseos possibilitate.

(e) *Per Schol. Def. 8.*
(f) *Theor. 3.*

THEOREMA VIII.

Ens infinitum in omnibus est absolutè perfectissimum.

Demonstratio.

CUm Ens infinitum nullas admittat realitatum earumve graduum, sive tendentiarum ulteriorum, negationes vel

vel privationes (g) & Ens absolutè perfectissimum sit illud, in quo nullæ realitates desiderantur, & in omnibus gradus omnes sive tendentiæ in infinitum adsunt, cùm, gradu vel unico realitatis alicujus deficiente, non essent omnes simul realitates inter se connexæ: quod est contra definitionem Entis absolutè perfectissimi. Quamobrem Ens infinitum in omnibus erit absolutè perfectissimum. Q. E. D.

(g) Per Def. Ent. in fin. 11.

Corol. Cum malum, ut tale, in imperfectione consistat (h) malum in Ente infinito vel minimum esse, absolute impossibile est. (i)

(h) Per Def. mali 14. (i) Per Def. abs. imp. 19. & theor. 8.

THEOREMA IX.

Ens finitum in nullo est absolutè perfectissimum.

Demonstratio.

CUm ens finitum admittat realitatum earumque graduum negationes tum simplices tum privativas: (k) erit limitatum. (l) Si in una realitate est limitatum, in omnibus erit limitatum. (m) Sed quod in omnibus est limitatum, in nullo omnes realitatum gradus simul possidet, quos habere potest, & consequenter in omnibus admittit dissensum inter id, quod habet, & inter id, quod non habet, habere tamen potest. Sed quod dissensum hunc admittit in omnibus, in omnibus est imperfectum. (n) Ergo Ens finitum in nullo est absolutè perfectissimum. Q. E. D.

(k) Per Def. Ent. fin. 12. (l) Per Def. limitat. 10. (m) Per Theor. 5. (n) Per Def. imperfect. 3.

Corol. I. Malum igitur a finitis Entibus est inseparabile. (o)

Corol. II. Ens finitum etiam in existendo non est absolutè perfectissimum, adeoque contingenter existit, (p) & per consequens rationem existentiæ suæ agnoscit in alio Ente infinito. (q)

(o) Per Def. mali 14. & Theor. 9. (p) Per Cor. 2 Theor. 7. (q) Per Cor. 2 Theor. 6.

THEO-

THEOREMA X.

Ens infinitum intellectu absolutè perfectissimo est præditum.

Demonstratio.

Quandoquidem Ens infinitum nullas admittit realitatum negationes, (r) illud omnes simul possidet realitates & consequenter etiam omnes simul perfectiones. (s) Jam verò intellectus absolutè perfectissimus, ponit facultatem, omnia possibilia, simul inter se connexa, distinctè & adæquatè exhibentem, (t) adeoque est realitas (u) & proinde perfectio. (v) Possidet igitur Ens infinitum etiam perfectionem, sibi repræsentandi omnia possibilia inter se connexa, distinctè non tantum, sed & adæquatè; in quâ intellectus absolutè perfectissimus consistit. Ergò Ens infinitum Intellectu absolutè perfectissimo est præditum. Q. E. D.

(r) Per Def. Ent. inf. 11.
(s) Per Theor. 1.
(t) Per Def. intell. absol. perf. 30.
(u) Per Def. realit. 1.
(v) Per Theor. 1.

THEOREMA XI.

Ens imperfectum rationem possibilitatis suæ in intellectu absolutè perfectissimo Entis infiniti agnoscit.

Demonstratio.

Cum nullum Ens imperfectum unicum sit sui generis possibile (x) unum majorem præ reliquis agnoscit possibilitatis rationem, (y) rationem autem possibilitatis unius præ altero exhibet facultas, omnium possibilium simultaneam inter se connexionem distinctè & adæquatè repræsentans, & proinde Ens imperfectum rationem possibilitatis suæ in illa facultate agnoscet. Sed hæc facultas absolvit intellectum absolute perfectissimum Entis infiniti. (z) Ergo Ens imperfectum rationem possibilitatis suæ in intellectu absolutè perfectissimo Entis infiniti agnoscit. Q. E. D.

(x) Per Cor. 3. Theor. 4.
(y) Per Cor. 2. Theor. 4.
(z) Per Def. intell. absol. perf. 30.

Corol.

Corol. Ens abſolutè perfectiſſimum rationem poſſibilitatis ſuæ in ſe ipſo continet. (a) (a) Per Cor 4. Theor 4.

THEOREMA XII.

Ens infinitum voluntate abſolutè perfectisſima eſt præditum.

Demonſtratio.

QUoniam Ens infinitum omnes ſimul perfectiones poſſidet (b) & voluntas abſolutè perfectiſſima ponit facultatem, inter plura poſſibilia, inæqualiter perfecta, infallibiliter eligendi perfectiſſimum, (c) adeoque eſt realitas (d) & proinde etiam perfectio, (e) Ens infinitum etiam habebit perfectionem eligendi inter plura poſſibilia infallibiliter perfectiſſimum, in quâ voluntas abſolutè perfectiſſima conſiſtit. Ergo Ens infinitum voluntate abſolutè perfectiſſima eſt præditum. Q. E. D.

(b) Per Theor. 10. (c) Per Def. vol. abſ. perfectiſſ. 31 (d) Per Def. realit 1. (e) Per Theor. 1.

THEOREMA XIII.

Voluntas abſolutè perfectisſima cum libertate abſolutè perfectisſimâ conjuncta eſt.

Demonſtratio.

QUandoquidem voluntas abſolutè perfectiſſima inter plura poſſibilia, inæqualiter perfecta, illud, quod eſt perfectiſſimum, infallibiliter eligit: (f) ſe ipſam etiam infallibiliter determinat ad electionem ejus, inter plura, in ſe eligibilia, quod intellectus abſolutè perfectiſſimus, ut perfectiſſimum infallibiliter repræſentat. Sed quod ſe ipſum infallibiliter ad electionem talem determinat, illud cum libertate abſolutè perfectiſſima eſt conjunctum. (g) Ergo voluntas abſolutè perfectiſſima cum libertate abſolutè perfectiſſima conjuncta eſt. Q. E. D.

(f) Per Def. volunt abſol. perf 31. (g) per def. Lib. abſol. perf. 32.

THEOREMA XIV.

Ens infinitum Sapientia absolutè perfectissima est præditum.

Demonstratio.

(g) Per Def. Sap. absol. perfect. 33. (h) Per Def. realit. 1. (i) Per Theor. 1. (k) Per Theor. 10.

SApientia absolutè perfectissima infert aptitudinem ita inter se connectendi media & fines, ut in hac Connexione summus possibilis inter media & fines servetur consensus, (g) adeoque est realitas (h) & proinde etiam perfectio, (i) Enti infinito competens. (k) Quare Ens infinitum Sapientiâ absolutè perfectissima est præditum. Q. E. D.

THEOREMA XV.

Ens infinitum potentia absolutè perfectissima est præditum.

Demonstratio.

(l) Per Def. potent. abs. perf. 34. (m) Per Def. realit. 1. (n) Per Theor. 1. (o) Per Theor. 10.

POtentia absolutè perfectissima ponit vires quæ sufficiunt existentiæ exhibendæ omnium possibilium, (l) adeoque est realitas (m) & consequenter perfectio (n) Enti infinito competens. (o) Ergo Ens infinitum potentia absolutè perfectissima est præditum. Q. E. D.

THEOREMA XVI.

Ens infinitum bonitate absolutè perfectissima est præditum.

Demonstratio.

(p) Per Def. Bon. absol. perf. 35. & leg. Sap. 36. (q) Per def. realit. 1. (r) Per Theor. 1. (s) Per Theor. 10.

BOnitas absolute perfectissima ponit promptitudinem voluntatis intensissimam, conferendi Entibus omnibus, quot concipi possunt, realitates omnes, quot recipere possunt, & quot lex sapientiæ infinitæ; potentiæ infinitæ producere permittit (p) & consequenter est realitas, (q) adeoque etiam perfectio, (r) competens Enti infinito. (s) Ergo Ens infinitum bonitate absolute perfectissima est præditum. Q. E. D.

THEO-

THEOREMA XVII.

Ens infinitum justitia absolutè perfectissima est præditum.

Demonstratio.

JUstitia absolutè perfectissima infert exercitium Bonitatis absolute perfectissimæ, secundùm legem sapientiæ absolutè perfectissimæ institutum (t) & proinde est realitas, (u) adeoque etiam perfectio (w) competens Enti infinito. (x) Quarè Ens infinitum Justitia absolutè perfectissima est præditum. Q. E. D.

(t) *Per Def. Just. absol. perf. 37.*
(u) *Per Def. realit. 1.*
(w) *Per Theor. 1.*
(x) *Per Theor. 10.*

THEOREMA XVIII.

Ens finitum omnes realitates suas recipit ab Ente infinito, extrinsecus illas conferente.

Demonstratio.

CUm Ens finitum in nullo sit absolutè perfectissimum (y) neque existentia ejus erit absolute perfectissima, adeoque finita, (z) cujus proinde ratio sufficiens in Ente alio, in existendo infinito & absolutè necessario, continetur. (a) Ens igitur finitum Existentiam suam recipit ab Ente infinito extrinsecus eam conferente. Si existentiam ab Ente infinito recipit, omnes reliquas realitates ab eodem recipit, quippe quæ existentiam præsupponunt. Q. E. D.

Corol. Quoniam Ens finitum existentiam suam ab extra recipit, cum omnibus realitatibus suis (b) in se ipso & ex se ipso nihil est. (c)

(y) *Per Theorema 9.*
(z) *Per Theorema 7.*
(a) *Per Cor. 2. Theor. 9.*
(b) *Per Theor. 18.*
(c) *Per Def. nihili 17.*

THEOREMA XIX.

Ens finitum non eſt capax recipiendis omnibus realitatibus.

Demonſtratio.

(d) *Per Theor. 9.* ENs finitum in nullo eſt abſolutè perfectiſſimum: (d) adeoque in nullo capax eſt omnibus realitatum gradibus recipiendis. Ergo Ens finitum non eſt capax recipiendis omnibus realitatibus. (e) Q. E. D.

(e) *Per Theor. 6.*

THEOREMA XX.

Realitates ſimplices, quarum Ens finitum, in ſe & abſolute ſpectatum, capax eſt, incompatibiles eſſe poſſunt.

Demonſtratio.

CErnere diſtinctè remotiſſima, & cernere etiam diſtinctè proxima, ſunt duæ realitates ſimplices, quarum oculus, in ſe ſpectatus, capax eſt; quia conſentiunt cum fine oculi generali, qui eſt, viſio diſtincta omnium, adeoque ſunt ejus perfectiones abſolutæ, (f) ſed in oculo humano, per principia dioptrica, ſimul in eodem gradu concurrere nequeunt. Dantur igitur realitates ſimplices, quarum Ens finitum, in ſe & abſolutè ſpectatum, capax eſt, quæ tamen inter ſe, in eodem Ente conjunctæ, incompatibiles ſunt. Q. E. D.

(f) *Per Def. perfect. 2.*

THEOREMA XXI.

Imperfectio in partibus Entis finiti abſoluta, eſſe poteſt perfectio reſpectiva totius compoſiti.

Demonſtratio.

CUm imperfectio abſoluta in partibus Entis cujusdam finiti obvia, majorem conciliet toti compoſito conſenſum,

um, si plures realitates in partibus incompatibiles, adeoque nter se dissidentes & unà perfectionem absolutam involventes (g) tali attemperatione mutua conjungantur, ut in toto composito plus consensus conservetur, & in consensu majori omnium partium cum fine, cujus gratia est ipsum totum, totius compositi perfectio respectiva consistat: (h) imperfectio absoluta in partibus entis cujusdam finiti, esse potest perfectio respectiva totius compositi. Q. E. D.

(g) Per Def. imperf. absol. 3.
(h) Per Def. perf. respectiv. 7.

THEOREMA XXII.

Mali possibilitas in Entibus imperfectis, est absolutè necessaria.

Demonstratio.

CUm malum sit imperfectio (i) & imperfectio ab omni Ente imperfecto sit inseparabilis (k) hoc autem sit possibile. (l) Ens imperfectum ad mali possibilitatem in Entibus imperfectis, ita se habebit, ut Ens imperfectum sine omni malo, ad mali impossibilitatem, in Entibus imperfectis h. e. ut contradictorium ad contradictorium. Cujus autem possibilitas ita se habet, ut opposita ejusdem impossibilitas involvat contradictionem, ejusdem possibilitas absolutè necessaria est. (m) Ergo possibilitas mali in Entibus imperfectis est absolutè necessaria. Q. E. D.

(i) Per Def. mali 14.
(k) Per Def. 8.
(l) Per Cor. 1. Theor. 4.
(m) Per Def. necess. absol. 20.

THEOREMA XXIII.

Mali existentia in Entibus imperfectis est absolutè contingens.

Demonstratio.

CUm nullum Ens imperfectum sit unicum sui generis (n) possibile, nec imperfectio erit unica sui generis possibilis in Entibus imperfectis, & proinde malum æque ac entia ipsa imperfecta, hoc modo existit, ut etiam non hoc, sed alio modo existere possit. (o) Quod ita existit illud con-

(n) Per Cor. 3 Theor. 4.
(o) Per Def. mali 14.

(p) per Def. Conting. abs. 21. contingenter existit. (p) Ergo mali existentia in entibus imperfectis est absolute contingens. Q. E. D.

THEOREMA XXIV.

Mundus quicunque possibilis, individualiter & in universo suo ambitu spectatus, est Systema.

Demonstratio.

(q) Per Def. Mundi 23. (r) Per Def. Loci 24. & temporis 25 (s) Per Def. Systema. 26.

QUandoquidem mundus quicunque possibilis; individualiter & in universo suo ambitu spectatus, est collectio universalis omnium locorum & omnium temporum: (q) erit connexio omnium coëxistentium & sibi mutuo succedentium secundùm communem aliquam normam. (r) Sed connexio plurium secundùm communem aliquam legem, in genere dicitur Systema. (s) Ergo mundus quicunque possibilis, individualiter & in universo suo ambitu spectatus, est Systema. Q. E. D.

(t) Per Def. determ. mut. 28.

Corol. I. Cum in Systemate omnia se mutuo determinent: (t) in Mundo quocunque possibili, individualiter & in universo suo ambitu spectato, illa, quæ fiunt in uno loco exhibent intellectui, saltem infinito & absolutè perfectissimo, illa, quæ fiunt in omnibus locis, & in statu præsenti cujuscunque universi possibilis continetur ratio status ejusdem præteriti ac futuri.

(u) Per Cor. 1.

Corol. II. Quoniam in Mundo existente, quatenus individualiter & in universo suo ambitu spectatur, omnia sunt determinata: & implicat id, quod hoc modo, jam determinatum est ita non esse determinatum: (u) quicquid in determinationibus hujus præcisè mundi, ut talis, continetur, illud aut fuit, aut est, aut erit, & quicquid nec fuit, nec est, nec erit, illud in hoc mundo, quatenus hic mundus est, evenire non potest.

THEO-

THEOREMA XXV.

Mundus quicunque possibilis in omnibus est finitus.

Demonstratio.

MUndus quicunque possibilis includit Successionem realitatum, (w) & successio infert absentiam realitatum succedentium, & consequenter realitatum limitationem, (x) quam absentia sive negatio vel unius realitatis ejusdemve gradus infert. Jam verò quicquid in unica sua realitate limitatum est, in omnibus est finitum. (y) Ergo mundus quicunque possibilis in omnibus est finitus Q. E. D.

(w) Per. Theor. 24
(x) Per Def. limitat. 10.
(y) Per Theor. 6.

Corol. I. Mundus, qui existit, etiam in existendo est finitus, h. e. admittit negationem existentiæ, (z) adeoque non absolutè necessario, sed contingenter existit. (a)

(z) Per Def. Ent. fin. 12
(a) Per Def. conting. abs. 21.

Scholion. Etsi autem omnes mundi cujuscunque possibilis partes, *quà essentiam* sint finitæ: tamen tam coëxistentes, quam sibi succedentes *quà numerum* esse infinitas, non repugnat; quatenus multitudini earum nullus numerus æqualis assignari potest. Scilicet connexio plurium tam coëxistentium, quam sibi succedentium est extrinseca entibus, quæ, qua coëxistentiam & successionem connectuntur, etsi nulla cogitari potest connexio, sine entibus, quæ connectuntur. Hinc *Locus* & *Tempus* nihil mutant in ipsis entibus, quæ sunt in loco & in tempore, adeoque patet, quomodo Essentia Entium coëxistentium & succedentium possit esse finita, etsi multitudo plurium, quæ connectuntur, quà numerum ponatur esse infinita.

Corol. II. Mundus quicunque possibilis in se ipso & ex se ipso nihil est. (b)

(b) Per Cor. Theor. 18.

THEO-

THEOREMA XXVI.

Mundus absolutè perfectissimus est impossibilis.

Demonstratio.

(c) *Per Theorema 25.* (d) *Per Theor. 9.* (e) *Per Def. imposs. 19.* *Plato.*

MUndus quicunque possibilis, in omnibus est finitus (c) & consequenter in nullo est absolutè perfectissimus: (d) Quare mundus absolutè perfectissimus involvit contradictionem, & proinde impossibilis est. (e) Q. E. D.

Scholion. En PLATONEM ὁμόψηφον. Voluit DEUS omnia bona, malum nihil, *quoad natura pateretur, in Timæo* p. 1047. *ed. Francof.* 1602. in fol.

THEOREMA XXVII.

Mundus in suo genere perfectissimus non est in existendo absolutè necessarius.

Demonstratio.

(f) *Per Theorem. 25.* (g) *Per Cor. 1. Theor. 6.* (h) *Per Def. necess abs. 20.* (i) *Per Def. possibil. 18.*

MUndus quicunque possibilis in omnibus est finitus, (f) & proinde etiam Mundus in suo genere perfectissimus, in existendo est finitus. Quamobrem, non-existentia mundi in suo genere perfectissimi, nullam in se involvit contradictionem. (g) Ergo mundus in suo genere perfectissimus non est in existendo absolutè necessarius. (h) Q. E. D.

Corol. Erit igitur Mundi cujuscunque imperfectioris præ perfectiore existentia in se possibilis. (i)

THEOREMA XXVIII.

Mundi tamen imperfectioris possibilitas nunquam in actum deducitur.

Demonstratio.

(k) *Per Theor. 25.* (l) *Per Cor. 2. Theor. 9.*

CUm Mundus quicunque possibilis in omnibus sit finitus, (k) contingenter existet, (l) adeoque rationem existentiæ

ſtentiæ ſuæ agnoſcet in alio Ente, (m) quod in omnibus infinitum (n) & abſolutè perfectiſſimum eſt: (o) Sed ſi Mundus quicunque poſſibilis rationem exiſtentiæ ſuæ agnoſcit in Ente abſolutè perfectiſſimo: Mundus imperfectior agnoſcet rationem exiſtentiæ ſuæ in Ente quod ſimul abſolutè ſapientiſſimum, (p) & extra ſe libertate abſolutè perfectiſſimâ, (q) prædicum eſt. At libertas talis voluntatem infallibiliter determinat ad electionem perfectiſſimi, (r) quod Sapientia abſolute perfectiſſima efficaciter ſuadet, (s) & intellectus abſolutè perfectiſſimus infallibiliter cognoſcit. (t) Jam verò ſi voluntas abſolutè perfectiſſima perfectiſſimum Mundum è pluribus, inæqualiter perfectis eligit: (u) non permittit, ut potentia abſolutè perfectisſima exiſtentiam conferat Mundo imperfectiori. Cujus autem posſibilitati exiſtentia à potentia abſolutè perfectisſima non conceditur, ejus poſſibilitas nunquam in actum deducitur. Ergo Mundi imperfectioris poſſibilitas nunquam in actum deducitur. Q. E. D.

(m) *Per Cor. 2. Theor. 6.*
(n) *Per Cor. 3. Theor. 6.*
(o) *Per Theor. 8.*
(p) *Per Theor. 14.*
(q) *Per Theor. 13.*
(r) *Per Def. libert. abſol. Perf. 22.*
(s) *Per Def. Sap. abſ. perfectiſſ. 33.*
(t) *Per Def. int abſ. perfect. 30.*
(u) *Per Def. vol abſ. perfect. 31.*

THEOREMA XXIX.

Mundus, qui exiſtit, in toto ſuo ambitu ſpectatus, in ſuo genere eſt perfectiſſimus.

Demonſtratio.

Cum Mundus, qui exiſtit contingenter exiſtat, (w) agnoſcet rationem exiſtentiæ ſuæ in alio Ente, (x) in exiſtendo infinito. (y) Sed hoc Ens in omnibus eſt infinitum, (z) adeoque etiam in omnibus abſolutè perfectiſſimum, (a) quamobrem non permittunt in hoc Ente ſapientia & Libertas, utraque abſolutè perfectiſſima, ut potentia abſolutè perfectiſſima exiſtentiam conferat mundo imperfectiori, in ſe poſſibili. (b) Ergo Mundus, qui ab hoc Ente productus eſt, h. e. Mundus qui exiſtit, in toto ſuo ambitu ſpectatus, in ſuo genere eſt perfectiſſimus.

(w) *Per Cor. 1 Theor. 25.*
(x) *Per Cor. 2 Theor. 6.*
(y) *Per Cor. 3. Theor. 6.*
(z) *Per Theor. 5.*
(a) *Per Theor. 8.*
(b) *Per Theor. 28.*

Scholion. Veritas hæc jam M. T. Ciceroni cognita fuit atque perſpecta. Ita enim BALBUS Stoicus apud eundem L. II. de Naturâ Deorum *Operum Tom. III. fol. 292. a edit. Baſileenſ. ex*

 ædibus

ædibus And. Cratandri 1528. in fol. Mundi quidem, inquit, administratio nihil habet, nisi quod reprehendi poſſit. Ex iis enim naturis, (ex infinitis ſcil. mundis, in ſe poſſibilibus) quæ erant, (in intellectu Entis abſolutè perfectiſſimi) QUOD EFFICI OPTIMUM POTUIT, EFFECTUM EST. (Mundus in ſuo genere perfectiſſimus.) Doceat ergo aliquis potuiſſe melius, ſed nemo unquam docebit: (nec à priori; quia intellectus finitus infinitas infinitorum poſſibilium connexiones inter ſe comparare non poteſt: nec à poſteriori; quia abſurdum eſt, Ens perfectiſſimum elegiſſe id, quod eſt imperfectius) & ſi quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet: (incidens in alium Mundum poſſibilem eo, qui exiſtit, in univerſo ſuo ambitu ſpectato, imperfectiorem,) aut id, quod fieri non potuit, deſiderabit. (nempe mundum abſolutè perfectiſſimum.) En compendium *Theodicææ Leibnitianæ* longè elegantiſſimum! Immo PLATO jam Veritatem hancce cognitam perſpectamque habuit, qui *loc. cit.* „Fas, inquit, non eſt, quicquam niſi *Pulcherrimum* facere eum, „qui eſt *optimus* DEUM autem ad ſalutem *Totius* omnia ordi„nare docet. *Lib. X. de legibus* p. 957.

THEOREMA XXX.

Mundus, in ſuo genere perfectisſimus, eſt tantum unicus.

Demonſtratio.

SI negas: unicus ad minimum reliquorum posſibilium Mundo, in ſuo genere perfectisſimo, perfectione æqualis eſt. Si duo mundi posſibiles æqualiter ſunt perfectisſimi, vel uterque à ſapientia & voluntate abſolutè perfectisſimâ electus eſt, vel neuter: illud ſi alter non excludat alterum; hoc ſi uterque ſimul à ſapiente produci non posſit. (c) Jam verò duos Mundos ſimul produci eſt contra *cor. def. Mundi individualiter & in toto ſuo ambitu ſpectati 23.* Mundus tamen, qui exiſtit, in ſuo genere eſt perfectisſimus. (d) Ergo Mundus in ſuo genere perfectisſimus eſt tantum unicus.

(c) *Per Def. ſap. abſ. perfect. 33. & vol. abſ. perfect. 31.*
(d) *Per Theor. 29.*

THEO-

THEOREMA XXXI.

Miraculum mundum, in ſuo genere perfectisſimum ingredi poteſt.

Demonſtratio.

QUandoquidem Mundus, in ſuo genere perfectisſimus, eſt Syſtema, (e) cujus partes omnes, quà eſſentiam, ſunt finitæ: (f) ille in connexione partium vehementer compoſitâ, admittere poteſt diſſenſum, qui ad conſenſum in toto, non per id, quod in determinationibus mutuis cauſarum quarumcunque finitarum continetur; ſed tantum per vires cauſæ infinitæ reducibilis eſt. Sed talis diſſenſûs reducibilitas in Mundo, in ſuo genere perfectisſimo, infert posſibilitatem miraculi, (g) & proinde miraculum etiam mundum, in ſuo genere perfectisſimum, ingredi poteſt. Q. E. D.

(e) Per Theor. 24.
(f) Per Theor. 25.
(g) Per Def. mirac. 38.

THEOREMA XXXII.

Mali permisſio actualis in Mundo, qui in ſuo genere eſt perfectisſimus, moraliter eſt neceſſaria.

Demonſtratio.

CUm in Mundo, qui in ſuo genere eſt perfectisſimus, omnia ſint determinata, (h) & in determinationibus illius impeditio actualis mali non contineatur: (i) impeditio mali actualis in Mundo, qui in ſuo genere perfectisſimus eſt, inferet productionem, vel nullius Mundi vel imperfectioris eo, qui actu productus eſt, & proinde inferet aliquid, quod eſt contra voluntatem & ſapientiam abſolutè perfectisſimam Entis infiniti; (k) & conſequenter impeditio mali actualis in mundo, in ſuo genere perfectisſimo, infert omiſſionem ejus, quod Ens abſolutè perfectisſimum

(h) Per Cor. 2. Theor. 24.
(i) Per Theorem. 29. & exper.
(k) Per Theor. 13. & 14.

ſibi ipſi debet, adeoque eſt contra juſtitiam abſolute perfectisſimam. (l) Sed eſſe in ſe injuſtum, eſt malum in Ente abſolutè perfectisſimo infinities majus, quàm eſt ipſa permisſio mali actualis, in mundo producto, cujus abſoluta perfectio eſt imposſibilis. (m) Quare impeditio actualis mali in mundo, in ſuo genere perfectisſimo, ab Ente abſolutè perfectisſimo fieri nequit, ſine violatione propriarum perfectionum moralium, inprimis ſapientiæ & juſtitiæ, & proinde ejusdem oppoſitum perfectionibus moralibus Entis abſolutè perfectisſimi eſt convenientisſimum. Ergo mali permisſio actualis in Mundo in ſuo genere perfectisſimo eſt moraliter neceſſaria. (n) Q. E. D.

(l) Per Def. Juſt. abſol. perf. 37.
(m) Per Theor. 26.
(n) Per Def. neceſſ moral. 22

THEOREMA XXXIII.

Mundus qui exiſtit, in toto ſuo ambitu ſpectatus, non obſtante mali permiſſione actuali, in ſuo genere eſt perfectiſſimus.

Demonſtratio.


QUandoquidem Mundus, qui exiſtit, in ſuo genere quidem perfectisſimus, (o) in omnibus tamen finitus eſt: (p) à nullo mundo posſibili malum eſt ſeparabile. (q) Permisſio autem ejus actualis, in mundo, in ſuo genere perfectisſimo, eſt moraliter neceſſaria. (r) Quamobrem Mundus, qui exiſtit, in toto ſuo ambitu ſpectatus, non obſtante mali permisſione actuali, in ſuo genere eſt perfectisſimus.

Q. E. D.

(o) Per Theor. 29.
(p) Per Theor. 25.
(q) Per Theor. 22.
(r) Per Theor. 32.

Tantum!

MEDI-



MEDITATIO PHILOSOPHICA
DE
UNIONE MENTIS ET CORPORIS.

Conspectus.

I. Unio mentis & corporis:
II. Harmonia quid?
III. Repræsentare quid?
IV. Perceptio quid?
V. Motus quid?
VI. Repræsentare universum quid inferat?
VII. Possibilitas harmoniæ, inter Mentem & corpus à DEO præstabilitæ.
VIII. Independentia Mentis & corporis mutua.
IX. Influxus idealis Mentis in corpus, & corporis in mentem.
X. Imperium Mentis in corpus & subjectio Mentis in quo consistant?
XI. Veritates positivæ sive contingentes.
XII. Principium veritatum contingentium.
XIII. Principium veritatum contingentium est principium repræsentationis inter mentem & corpus mutuæ.
XIV. DEUS nihil vult sine ratione.
XV. Mentis essentia est repræsentativa corporis.



I. UNIO MENTIS ET CORPORIS consistit in Harmonia, utramque inter hominis partem à DEO ab æterno præstabilita. *I. Unio mentis & corporis.*

II. Harmonia hæc consistit in repræsentatione unius, ab altero, naturæ suæ convenienter, factâ. *II. Harmonia quid?*

III. Unum autem repræsentat alterum, si ex eo, quod fit in uno, ratio sufficiens dari possit ejus, quod in altero contingere observatur: vel si ab intellectu quodam, ex illis, quæ fiunt in uno, omnia inveniri possint, quæ fiunt in altero. Jam mens nostra immaterialis est, & proinde corpus, sibi assignatum, non potest repræsentare, nisi in subjecto indivisibili, secundùm punctum visûs, sibi in universo proprium: corpus contrà est materiale & componitur ex plurimis organis, adeoque mentem, sibi propriam, non potest repræsentare, nisi in subjecto multiplici. *III. Repræsentare quid?*

IV. Repræsentatio corporis in monade, sive perdurante individuo fit per Perceptionem mentis: repræsentatio mentis in multitudine fit per Motum corporis. *IV. Perceptio quid?*

V. Sicut enim Perceptionis mentis nostræ nulla potest cogitari Linea: ita Motûs corporis nostri Linea quædam cogitari potest, ex cujus longitudine, intrà datum tempus à corpore moto descriptâ, celeritas motûs æstimatur. Motus enim est continuum quid, continuam loci mutationem involvens, & continuum in tempore & spatio indivisibili generari nequit. *V. Motus quid?*

VI. Cùm autem inter perceptiones mentis nostræ præteritas, præsentes & futuras eadem prorsus sit connexio, quæ inter effectum aliquem & causam ejusdem proximam observatur; quatenus scilicet principium rationis sufficientis postulat, ut omnia, quæ in universo contingunt, in alio existente rationem ultimam inveniant, ex quâ intelligi & explicari possit, cur ita potius contingant, quàm aliter; & *VI. Repræsentare Universum quid inferat?*

cùm

cùm omnes etiam materiæ partes in universo inter se cohæreant ita, ut minima quælibet materiæ portio motu sit prædita peculiari, & motus ille ex omnibus reliquarum materiæ partium motibus in universo componatur: patet intellectum infinitum & absolutè perfectum ex unicâ mentis perceptione invenire posse omnes reliquas, & pariter ex motu unico, qui in hoc loco atque in hoc tempore fit, rationes invenire posse omnium motuum, qui fiunt in omnibus locis atque in omnibus temporibus. Hinc sequitur, Perceptionem mentis omnem esse repræsentationem universi in subjecto indivisibili per respectûs, quos Mens ad reliquas omnes substantias simplices in universo agnoscit, & quibus easdem, utut partibus careat, exactè semper exprimit: & contrà, Motum corporis omnem esse repræsentationem ejusdem universi in subjecto multiplici, per connexionem materiæ in pleno, in quo omnis motus effectum aliquem in corporibus distantibus sortitur pro ratione distantiæ, adeoque motûs ipsius communicatio procedere intelligitur ad quamlibet distantiam. Mens igitur æquè ac corpus nostrum totum repræsentat universum, dum unum repræsentat alterum; quatenus intellectus infinitus non tantùm ex mentis perceptionibus corporis motûs & vicissim ex corporis motibus mentis perceptiones, sed & ex illis, quæ vel in unico corpore vel mente unicâ contingunt, omnium tam motuum quàm perceptionum in universo relationes mutuas invenire potest, per §. III.

VII. Possibilitas harmoniæ inter mentem & corpus à DEO præstabilitæ.

VII. Quod si unum ex altero certò potest inveniri, manifestum est, DEUM etiam ab æterno Harmoniam inter perceptiones mentis & motûs corporis præstabilire potuisse, vi cujus in certo tempore & determinato loco illi præcisè motûs corporis consequuntur perceptiones mentis, qui easdem repræsentant, & contrà illæ perceptiones in mente respondent corporis motibus, quæ motus hosce pariter repræsentant.

VIII. Po-

VIII. Positâ tali mentem inter atque corpus Harmoniâ, semel à DEO præstabilitâ, patet, mentem ex se & suâ virtute, independenter ab omni aliâ creaturâ, sibi repræsentare motûs, in certo quodam corpore se invicem, nexu hypotheticè necessario, excipientes; & contrà, corpus ex se, independenter à mente, sibi assignatâ, repræsentare perceptiones illius mentis, quæ naturaliter sese invicem excipiunt, secundùm communem aliquam regulam, naturæ mentis convenientem.

VIII. Independentia mutua mentis & corporis:

IX. Patet hinc etiam, influxum mentis in corpus & corporis in mentem non esse, nisi idealem: quatenus DEUS, propter id, quod distinctè cognoscitur in uno, ita adaptavit alterum, ut priori mutatio in posteriori respondeat.

IX. Influxus idealis mentis in corpus & corporis in mentem.

X. Ex iisdem principiis explicari potest, quomodo mens nostra corpori dominetur, cûm perceptiones ejus distinctæ sunt: quatenus scilicet corpus à DEO ita in antecessum est dispositum ad agendum, ut, præsentibus in mente distinctis perceptionibus, corpus eo momento moveatur, quo mens id vult. Similiter ex dictis intelligitur, quomodo mens corpori subjiciatur, cùm perceptiones ejus confusæ sunt: quatenus scilicet DEUS existentiam talis præcisè Universi ex infinitis, in se possibilibus, elegit, in quo continetur jam idealiter mens per naturam suam ita disposita, ut voluntas ejusdem non per inclinationem rationis prævalentem, sed per passiones, quæ ex perceptionibus confusis, impressiones corporum, nos ambientium, in organa nostra sensoria factas, repræsentantibus, se hic & nunc ad agendum actu determinet.

X. Imperium mentis in corpus quid?

Subjectio mentis quid?

XI. Necessarium esse, ut Perceptiones mentis repræsentent motûs corporis, & contrâ: ex naturâ veritatum contingentium sive positivarum consequitur. Est autem *veritas contingens* sive *veritas positiva* vel *facti* Propositio, cujus contradictoria non est impossibilis, sed tantùm inconveniens.

XI. Veritates positivæ sive contingentes.

XII. Principium veritatum coningentium.

XII. Principium veritatum contingentium eſt id, in quo veritates contingentes rationem ultimam inveniunt, ex quâ intelligi & explicari poteſt, cur potius ita, quàm aliter exiſtant. Illud autem huc redit: *Quicquid exiſtit, rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ, cur ita potius, quàm aliter exiſtat, vel in ſe ipſo, vel in alio exiſtente agnoſcit.*

XIII. Principium veritatum contingentium eſt principium repræſentationis inter mentem & corpus mutuæ.

XIII. Quod ſi enim perceptiones mentis nihil continerent, quod repræſentaret motûs corporis, ex gr. ſi occaſione eorundem corporis motuum, qui repræſentantur per perceptiones, quas calorem, lumen, frigus vocamus, orirentur quæcunque aliæ mentis perceptiones, ex quibus nulla ratio dari poſſet dictorum motuum, qui fiunt in corpore: aliquid exiſteret ſine ratione ſufficiente, h. e. ſinè eo, ex quo à priori ratio reddi poſſet, cur aliquid exiſteret, vel cur non aliter exiſteret.

XIV. DEUS nihil vult ſine ratione.

XIV. At verò hoc ipſum evertit Magnum illud ratiocinandi principium. Neque enim ſufficit, DEUM aliquid ſimpliciter velle, ex. gr. DEUM velle, ut ſolutionem continui, quæ corpus præſens noſtrum deſtruit, in mente noſtrâ, cui corpus illud eſt aſſignatum, perceptio grata excipiat; ſed opus ſimul eſt, ut adſit medium naturale, quo DEUS efficiat, ut talis perceptio in mente oriatur.

XV. Mentis eſſentia eſt repræſentativa corporis

XV. Jam verò medium tale, ex ipſâ mentis noſtræ naturâ fluens, eſt repræſentatio eorum, quæ fiunt in aliquo corpore. Mens enim naturâ ſuâ eſt repræſentativa corporis, ita ut repræſentationes, per naturalem perceptionum ſucceſſionem ex ſe invicem ortæ, motibus certis corporis alicujus ſemper reſpondeant.

XVI. Repræſentatio mutua eſt Medium naturale Harmoniæ, inter mentem & corpus præſtabilitæ.

XVI. Omnis autem repræſentatio naturalem habet reſpectum, ad id, quod repræſentatur, adeoque, ſi DEUS ita præſtabiliviſſet mentem, ut ad continui in corpore, ipſi proprio, ſolutionem in ipſa mente perceptio ſequeretur grata; opus etiam fuiſſet, ut eſſentia corporis à DEO electa illam

illam agnoſceret ſtructuram, ex cujus per ſolutionem continui mutatione non imperfectio corporis, ſed major ejusdem perfectio, & quidem ſecundum naturales motuum Leges, quæ in ſe aliter poſſibiles ſunt, fuiſſet ſubſecuta.

XVII. In omni ſiquidem repræſentatione verâ nihil eſſe poteſt, quod non ſit in originali; quia aliàs redderetur falſa: etſi in repræſentatione imperfectâ minus ſæpè ſit, quàm in ipſo objecto repræſentato, & omne objectum diverſimodè à quâlibet ſubſtantia ſimplici repræſentetur. *XVII. Repræſentatio vera. Imperfecta.*

XVIII. Omnes perceptiones confuſæ ſunt repræſentationes imperfectæ; quia illas plura ingrediuntur, quàm quæ creaturæ evolvere poſſunt. Ex. gr. color viridis eſt perceptio confuſa, quoniam in hâc perceptione, quam colorem viridem vocamus, minus repræſentatur, quàm ineſt objecto repræſentato: oculo enim armato obſervamus, objectum viride ex partibus flavis atque cœruleis componi, quas tamen in perceptione mens non diſtinguit. *XVIII. Perceptiones confuſæ.*

XIX. Nec ulla dari poteſt creatura, utut fuerit perfectiſſima, quæ ad ultimam omnium ſuarum perceptionum pervenire poſſit analyſin; quippe quæ infiniti aliquid & divini involvit. *XIX. Omnes creaturæ quasdam habent perceptiones confuſas.*

XX. Ut hinc in ipſis Beatis admittendum ſit aliquod Syſtema rerum, reſpectu ipſorum præſtabilitum, vi cujus illorum perceptiones confuſæ ſemper ad Bonum verum tendunt, licet Beati non ſemper adæquatam illius Boni habeant Ideam. *XX. Harmonia præſtabilita in Beatis.*

XXI. Diverſitas tandem repræſentationis in quâlibet ſubſtantiâ ſimplici neceſſario fluit ex diverſimodo earundem in univerſo ſitu, dum quælibet ſubſtantia ſimplex punctum aliquod viſûs peculiare in eodem agnoſcit. *XXI. Diverſus Monadum in univerſo ſitus.*

XXII. Individualitas mentis.

XXII. Atque hinc Individualitas Mentis & omnis alterius ſubſtantiæ ſimplicis conſiſtit in Lege perpetuâ, totius ſeriei perceptionum, ipſi propriarum, corpus aſſignatum, eodemque mediante, integrum univerſum, ſecundùm locum corpori, menti aſſignato, proprium, repræſentantium.

XXIII. Communicatio ſive influxus phyſicus mentis & corporis eſt inexplicabilis.

XXIII. Cùm itaque Harmonia, inter mentem atque corpus à DEO præſtabilita, prout eandem explicavimus, ex notionibus mentis & corporis ſponte fluat, ordinemque inter Leges naturales, quæ connectunt perceptiones, & Leges naturales, quæ connectunt motûs, conſervet, atque ad omnia phænomena ſalvanda ſufficiat; contrà cùm communicatio ſive influxus phyſicus mentis atque corporis omnem dictarum Legum ordinem turbet & deſtruat, quippe quæ ſine perpetuâ lineæ directionis & graduum celeritatis in motibus corporis mutatione ab animâ, & viciſſim ſine perpetuâ mutatione perceptionum in mente, à corpore productâ, concipi non poteſt: inde quid conſequitur aliud, quàm hanc quidem ex nullâ mentis & corporis notione deduci poſſe & manere inexplicabilem; illam autem ſolam ſupereſſe, ex quâ phænomena unionis Mentis atque Corporis NATURALITER explicari valeant.

F I N I S.



